recepta, ubique probata, ac jamdiu celebrata, pro mei ingenii tenuitate, sint satis; pro ea, inquam, vindicanda ab istorum suspicionibus, ac negativis argumentationibus. Neque enim sive huic, sive aliis hujusmodi Traditionibus, aliud ferme objicere solent, quam quum illud sæpe profligatum, *Scriptum non est*; tum illud ad calumnias potius, quam ad verosimilem argumentationem pertinens, *Non mihi videtur*; *Difficultate non caret*. Quasi vero non exploratum per sese, ac jugi etiam observatione comprobatum non sit illud Tullii: *Clarioribus etiam in rebus inest aliqua obscuritas* (a).

DISSERTATIO VII.

Evangelicos Magos, & Reges, & numero tres fuisse, inter celeberrimas Ecclesiæ Traditiones jure optimo adnumerari, demonstratur.

I. PErgimus iisdem versari, ac pæne eadem ingerere. Verumtamen ad Plauti monitum

. . . . Qui in scenam provenit
Novo modo, novum aliquid inventum afferre addecet (b):

illorum satietati, qui hæc fortasse lecturi sunt, pro facultate medebimur, sin minus rerum, nonnulla saltem argumentorum, atque observationum varietate. Plebis judicium, ad pietatem, ac religionem quod attinet, sæpe commodius, ac sanius esse vel ipsis quorumdam litteratorum Virorum sententiis, tum de se, nisi fallor, perspicuum est, tum argumentis evincitur. Permanet enim illa, & quidem firmiter, atque constanter, in eo, quod ab idoneis Magistris semel edocta est; si qui vero Celso similes, eam ad disquisitiones provocent, mox planum illud, innocens, atque omnis periculi expers usurpat: *Ne examina, sed crede* (c). *Nihil ultra scire. omnia scire est* [d]. Contra isti, quum eos admodum pudeat quidpiam admittere, nisi redditis, appensis, expensisque rationibus, quo magis investigant, conquirunt que, eo sese majoribus difficultatibus implicant, nihilque postremo ratum, immo vero quod non grande sit erratum, frequenter proferunt.

II. Perstabat sane Christianum vulgus pietate florens, moribus integrum, doctrina sincerum, quum ecce ad hæc perturbanda, e Ponti litore prodiit homo *Doctissimus* [e], ac multijugi eruditione percelebris, Marcionem dico; qui minus intelligens, qui demum sub jure, procurationeque Summi Boni, tot malis Mundus concuti, vexarique posset, post crebras ea de re, pertinacesque contentiones, ad extremum, id quod consequens erat, rem absurdissimam, malum, nempe, Deum commentus est. Ejusdem quoque doctrinæ simplicitatem, sanctitatemque apud catholicam plebem vigentem, atque florentem, corrupit, obscuravitque, quantum quidem in ipso fuit, Opinator immoderatissimus, Valentinus, alioqui & ipse *Doctissimus* [f], atque ut Tertullianus ait, *Ingenio potens, & eloquio* [g], præcjaram suam illam Metamorphosin, & *Altum dogma* confingens, dignum quod risu potius, quam argumentis explodatur. Atque id ipsum deinde moliti sunt alii omnes pravarum opinionum, schismatum, hæresum inventores, atque Patroni, docti illi quidem, eruditi, eloquentes, sed quod spectat ad Religionis negotium, ne cum uno quidem ex nostris Infantibus, aut Aniculis comparandi. Neque enim probabiliores, prudentioresque hisce in rebus habendi ii sunt, qui pro varia sua doctrina, atque eruditione, plures nobis quæstiones excitare, plures dubitationes, ac scrupulos injicere possunt; quin proculdubio isti illi sunt, quibus illud æque verum, ac breve Augustini dictum inculcare necesse est: *Argumentaris, ideo non liberaris* [h].

III. Præclare ut solet, Chrysostomus in illud Joannis: *Quidam dicebant, quia bonus est; alii autem dicebant, non, sed seducit Turbas. Illam*, inquit, *puto Multitudinis opinionem; hanc autem Principum, & Sacerdotum fuisse . . . . . Vides ubique Optimates quidem corruptos, Turbam vero sano fuisse judicio* (i)? Nempe haud mirum, eam esse rei Christianæ conditionem, ut inter ipsam, & quosdam Doctos parum sæpe, nihilve conveniat. Siquidem perspicimus, eam vel jam inde ab suis initiis, non alios expertam esse calumniatores, obtrectatoresque, quam doctos homines, ac multis litteris eruditos. Isti enim quum nec Senioribus, nec Ecclesiæ, nec ipsi adeo Deo loquenti, sed sibi tantummodo credere velint, ad quodlibet vel factum, vel Dogma continuo vel hæsitantes, vel adversantes, percunctando respondent, *& quomodo?* Porro quæ in hisce materiis hujus particulæ consecutiones esse soleant, idem Sanctus Doctor eas explicat, inquiens: *Quando subit quæstio, quomodo aliquid fiat? Simul subit, & incredulitas* (k). *Neque enim qui quommodo percunctantur, id scient, & a vera excident fide* (l).

IV. Absit igitur, ut nos quorumdam eruditorum voces, & effata conturbent, in antiquitatem, consensionemque minus æqua, & de illarum auctoritate multimodis detrahentia. Neque enim doctrinæ profunditas, ac eruditionis ubertas ita sunt per se ipsæ cum veritate conjunctæ, ut quidquid ex iis provenit, admirandum sit illico, atque omnino suscipiendum. Quin potius de hisce animi, mentisque divitiis, illud ipsum plane sentiendum arbitror, quod de aliis hominum ornamentis, atque fortunis ait Comicus:

Atque hæc perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet:
Qui uti scit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala [m].

Profecto insipientes illi, qui esse Deum vel in dubium revocavere, vel etiam palam inficiati sunt, non e plebe aliqui fuerunt, vel quivis e multis; sed e Scholis Philosophorum, ac valde litteratorum hominum: veluti Diagoras, Protagoras, Critias, Hippo, aliique adeo multi, ut inter dicta per se probabilia & illud quoque celebraretur, *Eos qui Philosophiæ dent operam, non arbitrari Deos esse* (n). Nec implicatione, aut hyperbole usus est Augustinus, quum ista contuitus, ea verba protulit: *In ipsis erroribus, & falsitatibus defendendis, quam magna claruerunt ingenia Philosophorum, atque Hæreticorum, quis existimare sufficiet* (o)? Quamobrem ut plane ridiculus ille foret, qui ad excellentiam nostræ mentis attendens, illam continuo recti regulam constitueret, neglecta tot malorum consideratione, quot ex illius abusu nasci jugiter pervidemus; ita non minus & ille ineptus est, qui doctrinæ præstantia, amœnitateque eauditionis illectus, regulam veri illas esse arbitretur; tot interim falsitatum, errorumque monstris ex pravo illa-

(a) *Tuscul.* 1. (b) *In Pseudol. Act.* 1. (c) *Apud Origen. lib.* 1. *contra Celsum*. (d) *Tertull. de Præscript. cap.* 14. (e) *Hieronym. lib.* 2. *in Oseæ cap.* 10. (f) *Hieronym. ibid.* (g) *Adverf. Valent. cap.* 1. 4. & 12. (h) *Serm.* 256. *num.* 2. (i) *Hom.* 48. *in Joann.* (k) *Homil.* 45. *in Joann.* (l) *Homil.* 23. *in Joann.* (m) *In Heautontim.* (n) *Apud Cic. lib.* 1. *de Invent.* (o) *Lib.* 22. *de Civit. c.* 24.

illarum usu idemtidem invectis, neutiquam animadversis.

V. Porro non hæc eo dixerim, quod de litteris, Virisque doctis detractum velim; id enim non modo absonum, verum etiam iniquum foret: quippe nihil sanis litteris utilius, nihil sincera eruditione præstantius. Observandos eos itaque, diligendos, audiendos omnino censeo, modo ea tamen, quæ nobis proferunt, offeruntque (quod nempe ad hæc attinet) *Res sint non ingenii, sed doctrinæ, non usurpationis privatæ, sed publicæ Traditionis* [a]. Qui si aliquando vetustatem, consensionemque fastidientes, nova moliantur, ac nobis *pro aliis alia subjiciant*, quod quidem & olim frequenter, & crebro etiam in præsens evenit; tum vero eos protinus aversantes, probatam illam, atque securam Augustini sententiam usurpabimus: *Hoc Majorum Traditione suscepimus; hoc ad Posteros imitanda devotione transmittimus* (b). Sane quotquot adhuc in Ecclesia, insigni doctrina, eximiisque virtutibus floruerunt, iter hoc omnes constantissime tenuere, illudque aliis fideliter monstraverunt, impense commendarunt, omnimodis inculcarunt: ut profecto ridiculum, atque adeo impium sit, tot, tantisque Viris, eruditos, nescio quos, novos præferre, ut hoc veluti pretio, *Tepidum illud Euge, & Belle, & Sophos* audiamus [c], *Clarissimique* nobis titulum comparemus (d).

VI. At enim non tantum fortasse sibi isti arrogant, ut spectatissimis Ecclesiæ Scriptoribus, atque Doctoribus præferri velint. Immo vero, ita volunt, ut magnopere postulent, flagitentque. Quin si alios id interdum renuere, nec sibi facile id concedere intelligant, tum demum frontis obliti, ipsi hoc de se prædicant impudentissima oratione. Erasmus ad Jacobum Fabrum: *At non idem tribuimus, inquies, Erasmo, quod Augustino: Certe quo ille major, hoc mihi fortasse minus auctoritatis, sed tamen plus veniæ tribuendum erat* (e). Mox vero, nec sine stomacho: *Quanquam hoc ipsum Viris eruditis indignum arbitror, Scriptorum auctoritatem annis metiri, non rebus*. Ita ne, hominum immodestissime, Augustini lucubrationes, ingenium, nominisque celebritas, una sola constant antiquitate, eaque tantummodo scriptis tuis, teipso plenis, erroribus, atque hæresibus ubique conspersis, anteponuntur? Profecto quum hominem cerno sese præter modum instantem, adnitentemque, vel cum celsissimis Ecclesiæ montibus tumore contendere, ad fabulas redire cogor: quippe in mentem venit Æsopicæ illius Ranæ, quæ Bovis humeris insidere, inque eo tantisper obequitare in animum induxit suum; quumque ob illius magnitudinem, exiguitatemque suam, voti compos nequaquam fieret, cœptis non destitit, speravitque id se nihilominus consecuturam, modo enixius conaretur, ageretque contentius. Ergo iterum, retento spiritu, intumuit, ac rata plane se rem confecisse, filium perconctabatur, num ne vel tum Bovi par esset? Cui Filius: *Crepes licet Mater, Bovem numquam vinces*.

VII. Atque huc etiam collineat Joannis Clerici, eruditi, nimirum, Criticique recentis, clarissimum supercilium. Laudatissimos enim, primæque antiquitatis Ecclesiæ Patres, Justinum, atque Irenæum, indignos ducit, qui cum Grotio, atque Hammondo, vel minima quidem ex parte conferantur. Ait enim sic: *At sane si conferantur laudati Interpretes nostri sæculi cum illis, antiquiores pueri videbuntur, cum Viris maturi judicii collati. Si, exempli causa, Justinum, & Irenæum cum Grotio, & Hammondo contuleris, priorum te miserebit &c.* (f) Nam quod in Augustinum sit frequenter iniquus, haud est valde mirum. Quid enim æqui, atque boni Diviæ gratiæ defensor præcipuus sibi expectaret ab homine Remonstrante? At in Hieronymum plane furiosus est: Namque & ipsi disertim præfert Jovinianum, & Vigilantium; & modum ejus differendi contra istorum errores adeo non probat, ut potius illum vituperet, explodatque (g). Postremo omnia ipsius opera vix alicujus usus (qua inter Criticos auctoritate pollet) esse posse decernit (h). Sed quo demum prorumpat dementissima hæc temeritas, animum attendamus. Unum nobis ad id plane intelligendum sat erit Baylii elogium, quo præclaras ejus in hisce rebus progressiones paucis perstringit: ait quippe, *Joannem Clericum, sua in hæresibus publicandis audacia, in diem evadere clariorem* (i). Et par pari ipse quidem refert, censorem hunc suum ad manifestos Atheos rejiciendo. Et vero ipsorum res sunt ejusmodi, ut, me quidem Judice, neuter de altero jure conqueri possit: nec enim facile dixerim, uter eorum sit rei Christianæ perniciosior. Palam enim alter omni pietati, atque religioni nuntium remittit, consertque sese ad hominum, ut jamdiu seipsi vocant, honestorum sectam; alter vero crebris observationibus, notis, adsertionibus, nimium quantum a perpetuis Ecclesiæ, Sanctorumque regulis abhorrentibus, ad omnem hæresim tuendam, atque intrudendam incautos allicit, instituitque.

VIII. Quando itaque ad hosce impietatis scopulos frequenter illidunt novi quidam Critici, Viri (si Deo placet) sapientes, atque emendati; nonne oportet, modo sani, Christianique simus, iis omnino dimissis, Sanctorum vestigiis insistendo, consensionem prosequi, antiquitatem venerari? Profecto id, quod de Romana Republica ille olim protulit,

Moribus antiquis res stat Romana, Virisque. (k)

commode, verissimeque de re Christiana usurpari potest, atque adeo prorsus debet: quippe quæ Patrum studiis, atque doctrinis constructa, stabilita, erudita, per tot rerum discrimina, totque triumphatis externis, ac domesticis hostibus, ad nos usque constans, florensque pervenit. Nam ad consensionem quod attinet, ne vel ipsa quidem contumax, ac rerum omnium perturbatrix Academia, adeo impudens fuit, ut universum receptis, probatisque sententiis auderet obniti. Ait quippe Cicero: *Tum demum mihi procax Academia videbitur, si aut consenserint omnes, aut erit inventus aliquis, qui quod verum sit, invenerit* (l). Quapropter tum demum isti ordine, recteque conficient, negligendam esse consensionem, quum prius, quæ ipsorum sapientia est, argumentis evicerint, fas esse, atque etiam oportere, homines pie, Christianeque institutos, vel ipsis Academicis licentius, atque immodestius agere.

IX. Ad pauca ut redeam, atque ad rem nostram propius: quum ea omnia, quæ universim Catholici pie retinent, ac sancte colunt, ejusmodi sint, ut argumentis idoneis, aptisque ratiocinationibus defendi, atque illustrari possint; quid tandem est causæ, quamobrem ea potius deferere, atque adspernari, quam probe explanate, confirmareque sedulo debeamus? Certe bonus Platonicus, exempli causa, haud ille est, qui eas Pla-

(a) *Lirinens. cap.* 27. (b) *Serm.* 292. *num.* 1. (c) *Pers. Sat.* 1. (d) *Martial. lib.* 1. *Epig.* 4. (e) *Tom.* 9. *pag.* 60. (f) *Epist. Critic. Epist.* 4. (g) *Dissert. de Argum. Theolog. ab invicta ducto.* (h) *Biblioth. Selectæ Tom.* 17. *pag.* 3. 5. & *alibi*. (i) *Epist. ad D. Minutol.* (k) *Ennius apud Cic. in Fragment.* (l) *Lib.* 1. *de Nat. Deor.*

tonis ſententias, quas alioqui commode, ac ſatis probabiliter tueri poteſt, omnino negligit, refellitque: nec ſuæ Reipublicæ multum amans, & quidem merito, is habetur, qui illius mores, & conſuetudines, quas nec inſcite, nec prorſus abſurde tueri poſſet, externorum cachinnis non modo indefenſas deſerit, verum ad eas reſpuendas, ac deridendas, ultro ſe illis etiam adjungit. Sed neſcio qui tandem fiat, ut qui privato alicui Doctori, ſive Reipublicæ, vel etiam Oppido, uſque adeo obſtringunt ſeſe, ut illorum mores, atque decreta, interdum plane abſona, nedum non optima, toto ingenii, induſtriæque conatu tegant, cohoneſtent, adprobent; ii, inquam, ipſi, quum de Eccleſiæ rebus agitur, perquam magnificum, ac generoſum ducunt, illius conſuetudines, cultus, ritus in litem vocare, carpere, redarguere.

X. Unum eſt quod regerant, nempe haudquaquam ſe illa facta reſpuere, quæ probabiliter, apteque defendi poſſunt; ſed ea tantummodo, quæ nullis nituntur veris, aut veroſimilibus argumentis. At modus hic diſtinguendi, ſeu cuncta potius confundendi, fons ille eſt, unde tot Novatores calumnias hauriunt adverſus Eccleſiam, & ejus dogmata. Quis enim horum non hoc ipſum prorſus, vel quid ſimile refert, quum iis ipſis urgetur, vel ſimilibus argumentis? Jam vero haud parum intereſt, quo quiſque oculo ad res adſpiciat, earumque naturam, & conditiones expendat. Crebro enim quæ aliquibus pulcra, vera, bona, ea aliis nihil hujuſmodi, ſed turpia, mala, compertæque falſitatis apparent. Porro ex iis, quæ adhuc pro facultate digeſſimus, ſatis oſtenſum arbitror, Facta non pauca, narrationeſque ab univerſis Catholicis pie creditas, ac retentas, inter abſurda, incredibiliaque, niſi nimia diſſentiendi, atque altercandi libidine, connumerari non poſſe.

XI. Atque hujus quoque generis illud eſt, quod in præſens expendere, atque ab iſtorum inſectatione vindicare ſtatuimus. Evangelicos Magos, & Regia conditione, & numero tres fuiſſe, vox omnium, & pietas Catholicorum affirmat. Invectus eſt in hæc primo, conſueta in Orthodoxos acerbitate Calvinus (*a*). Nam qui ante ipſum unus, vel alter iſthæc ipſa rejicere viſi ſunt, a communi ſententia reipſa non diſſident. Is vero tametſi vel ſuis adſectatoribus non uſquequaque perſuaſit, hacce in re *Ridiculos eſſe Papiſtas*, adſunt ei tamen e noſtris aliqui, & adeo quidem ex animo, ut quod impius ille paucis inſinuare ſatis habuit, id iſti conquiſitis, inſtructiſque argumentis evincere, ac demonſtrare contendant. Ab iſtorum ſententia atque opinione, licet ab impietate, atque impudentia diſtet, non equidem Auctor noſter abhorret, quemadmodum ejus verba abunde teſtatum faciunt: ait quippe: *Verum Reges illos fuiſſe, quod plerique putant, præfracte nego, multis evinco* (*b*). Attamen quum perinde haud ſit, præfracte quippiam negare, facillimum id enim eſt; atque illud (id quod ſæpe etiam in perſpicuis non levem difficultatem habet) multis, iiſque idoneis argumentis evincere; primum omittamus, uti nihil ad rem faciens, atque ad alterius conſiderationem, qua par eſt, ac poſſumus, accuratione deveniamus. Fieri namque facile poteſt, ut cunctis rite, probeque diſcuſſis, Auctoris argumenta ne ſatis illa quidem probabilia, non modo non invicta, ut ſibi ipſe perſuadet, inveniantur.

XII. Sed antequam id adgredior, illud animadverto, adhuc ferme nemini in mentem veniſſe (de iis loquor, qui in hiſce materiis accuratius verſati ſunt) Evangelicos Magos magnos aliquos exſtitiſſe Reges, multiſque Gentibus, atque Urbibus imperaſſe. Et ſane id nec veroſimile, nec ad inſtitutam hujus Facti defenſionem eſt neceſſarium. Communis conſenſio, perlataque jam inde a primis Eccleſiæ ſæculis ad nos Traditio, id ſolum poſtulat, nimirum, ut minime denegemus, ſpectatos illos, & claros, primarioſque ſuarum partium fuiſſe Viros, non ſapientia ſolum, ſed etiam genere, atque ut Baronius ait, *Reges fuiſſe uſitato more Divinæ Scripturæ, quæ cujuſque Oppidi Dominum, Regem appellare conſuevit* (*c*). Id vero & de ſe probabile valde eſt, & pleriſque Viris doctis, ac eruditis arridet: e quibus in primis D. Thomam exhibeo, ut detrectanti diſcipulo graviſſimi Præceptoris auctoritatem opponam. Itaque Sanctus Doctor illos explicate, atque diſerte *Reges* vocat (*d*). Alibi vero quaſi explicans, quid Regum nomine intellexerit, illos & Sapientes, & Potentes appellat: *Magi fuerunt Sapientes, & Potentes* (*e*): id quod magis etiam illuſtrat comparatione mox adhibita: *Paſtores autem ſimplices, & viles*. Quid ad hæc Auctor afferat, exploratum habeo: nimirum, Sapientiſſimi Doctoris ætatem ad exactioris Criticæ ſtudia non admodum incubuiſſe: proindeque haud magnopere mirum, ſi qui per ea tempora ſcripſerunt, Viri cæteroquin excellentes, & magni, vulgi opinationibus, fabelliſque conſenſerint.

XIII. Sed profecto ſi ejus in D. Thomam obſequium, atque obſervantia paulo major fuiſſet, ab generali illa regula factum hoc ſaltem, quo de agimus, procul dubio excepiſſet. Quid enim? quod plerique Recentes, & ii quidem Critici quum orthodoxi, tum etiam heterodoxi, probabile ſatis reputant; id, inquam, præclarus hic noſter D. Thomæ diſcipulus uti prorſus abſurdum refellere cogitur? Sane Baronii ſententia, eo pacto moderata, æqua, & commoda viſa eſt Caſaubono, & Voſſio. Ait enim ille: *Et melius ipſe etiam Baronius, qui præciſe nihil definit; ut rem probabilem tuetur ex uſu loquendi Scripturarum, quæ cujuſque Oppidi Dominum, Regem vocant. Hac æquitate facile aliquis a me impetraverit, ut concedam Regulos fuiſſe, & Toparchas ditionis Perſicæ* (*f*). Hic vero: *Veterum aliqui putarunt, hunc Magorum adventum fuiſſe prædictum Pſalmo 70. 10. ubi legas, Reges Arabum, & Saba dona adducent. Atque hinc eorum opinio inolevit, Reges fuiſſe, qui Chriſtum adorarunt. Sed ſi hoc eſſet, non ſiluiſſet Matthæus . . . . Quare vix aliter hæc conciliare liceat, quam ſi dicatur Reges fuiſſe, laxe ea voce utendo, ut ſæpe in Scripturis fit, quæ Regulos quoque Regum nomine dignatur* [*g*]. In eadem quoque ſententia eſt Montacutius, diſertim hæc ſcribens contra Caſaubonum: *Nec minus toleranda eorum εὐθυδικία, qui æque minus ferre poſſunt ſentientes in Eccleſia, quod fuerint Reges. Nam quod ad me attinet, fuiſſe arbitror* (*h*). Ad quæ Montacutii verba hæc advertit Stolbergius: *Verum quum Reges fuiſſe affirmat, non vult intellectos Perſarum Monarchas, quod & Baronius, Cornelius a Lapide, ac Barradius faciunt; ſed quales Civitatum, ac Regionum Toparchæ* (*i*). Tametſi vero Samuel Baſnagius (conſentiens cum Stolbergio, atque Kemnitio) diſertim negat Magos fuiſſe Toparchas, illos tameſi inter Viros potentes, & nobiles collocat, ſubſcribitque Nicephoro confirmanti, *Magos nobilitate generis, & opibus inſignes fuiſſe* (*a*). At noſtro Auctori parum eſt, illis quum Regna, tum Toparchias adimere, niſi eis nobilitatem quoque, & generoſitatem auferat, illoſque ad conditionem prorſus *vulgarem*, atque omnino deſpectam deprimat.

(a) *In Harmon. Evang.* (b) *Exercit.* 34. *num.* 2. (c) *Ad ann. Chriſti* 1. *n.* 30. (d) *In caput* 2. *Matth.* (e) *Tert. Part. Quæſt.* 36. *Art.* 3. (f) *Exercit.* 2. *ad Annales Anno* 1. *n.* 19. (g) *Diſſert. de Natal. anno Chriſti n.* 17. (h) *Anno Urbis* 749. *num.* 51. (i) *Apud Stolberg. Diſſert. de Magis, ad Matt.* 2.

XIV. At non ſic arbitrantur idonei, atque eruditi Sacrarum Litterarum explanatores, Maldonatus, Eſtius, uterque Janſenius, Cornelius a Lapide, Tirinus, Natalis Alexandri (*b*), ac nuperrime Graveſonius (*c*), quibus communis, receptaque Baronii, atque adeo D. Thomæ ſententia, non modo nihil abſurdi continere viſa eſt, ſed fatis etiam commode, ac probabiliter defendi poſſe. Jam ſi iis paulo, ac multo etiam antiquiores addantur, ejuſdem facti confirmatores, Dionyſius Carthuſianus (*d*), D. Laurentius Juſtinianus (*e*), Gerſo (*f*), Toſtatus (*g*), Lyranus (*h*), Hugo Cardinalis (*i*), D. Bonaventura (*k*), Gregorius Nonus (*l*), Arnoldus Bonevallis (*m*), Zacharius Chryſopolitanus (*n*), Leo Auguſtus (*o*), Chriſtianus Grammaticus (*p*), S. Odilo Abbas (*q*), Strabo [*r*], Paſchaſius Ratbertus (*s*); certe ſi minus aliud, ſaltem illud efficietur, non continuo Factum hoc (id quod Auctor, & alii quidam Recentes audacter faciunt) e probabilium Traditionum numero extrudendum eſſe; ſed conſideratius, atque maturius in illius dijudicatione procedendum.

XV. Nam quod ipſe in primis objicit, nimirum, *Si Magi Regia dignitate aucti fuiſſent, Matthæus illos a nobiliori titulo deſignaſſet, nec ſimpliciter Magos dixiſſet, ſeu Philoſophos, & Sideralis Scientiæ peritos: ſic enim & Chriſti naſcentis gloriam, & delati palam honoris famam, ac celebritatem auxiſſet. Regium quoque apparatum, & comitatum aut deſcripſiſſet Matthæus, aut innuiſſet, quo illuſtrior in Judæorum oculis fieret ſalutatio, glorioſior adoratio. Certe ubi Chriſtus Filium Reguli ſanitati reſtituit, hanc Parentis dignitatem ſilentio mittendam non cenſuit Sacer Scriptor: ne patrati miraculi celebritatem imminueret; & Regiam in Chriſti Adoratoribus dignitatem ſilentio miſſam effutiemus, unde tanta delato honori celebritas acceſſiſſet, ac fama? Abſit.* Id, inquam, nec invictum ut ipſe arbitratur, nec adeo firmum eſſe, illud in primis non leviter indicat, nimirum, quod Scriptores paulo ante laudati, eo nihil, aut certe parum commoti ſint. Et conficiunt quidem inde, id quod equidem adprobo, non magnos illos, nec proprie fuiſſe Reges; at minime tamen nec Toparchas, vel Regulos, aut Viros potentes.

XVI. Quod ſi ipſe contendat, illorum dignitatem prætereundam nihilominus non fuiſſe, tametſi Toparchæ ſolum exſtitiſſent, aut Reguli. Saltem illud ipſi explanandum ſupereſt, cur Abgari ad Chriſtum Dominum Epiſtola, atque Legatio præteriri potuerit a Sacris Evangeliorum Scriptoribus; Magorum vero conditio ſi clara fuit, ac nobilis, prætermitti ab iiſdem non debuit? Etenim ſi Chriſti naſcentis gloriam non parum auxiſſet ab externis Regulis delatus honor; profecto ad ejuſdem Chriſti jam viri, jamque præcipua Meſſiæ munia exercentis, claritatem, ſplendoremque plurimum acceſſiſſet, ex alienigenæ, *præſtantiſſimique Reguli* publica legatione, ac litteris ad ipſum tam demiſſe conſcriptis. Jam vero ſi attendamus, quod tempore ortus Chriſti res obſcurius acta eſt, nec eam tum Deus, niſi admodum paucis compertam voluit; at prædicationis tempore palam omnia geſta ſunt, Judæis non modo non obtemperantibus, ſed ipſum potius, ejuſque doctrinam vehementer, invidioſeque criminantibus: Ad hæc, inquam, ſi attendamus, fortaſſe non omnino perperam conficiemus, Abgari potius legationem, & litteras, quam claram Magorum conditionem, Sacros Evangeliorum Scriptores conſignare litteris debuiſſe, ſi quidem ad noſtras animadverſiones, non ad Divinæ illuſtrationis modum Evangelia lucubraſſent.

XVII. Atque hinc etiam colligimus, perquam levem eſſe illam Auctoris obſervationem, quod nempe, *Ubi Chriſtus Filium Reguli ſanitati reſtituit, hanc Parentis dignitatem ſilentio mittendam non cenſuit Sacer Scriptor, ne patrati miraculi celebritatem imminueret*. Nam ſi hujuſmodi dignitatum memoriam Sacri Scriptores conſtanter, atque perpetuo conſervaſſent, fortaſſe non nihil efficeret, hoc pacto ratiocinando. At quum, vel ipſo etiam conſentiente, id non ſemper evenerit; perſpicuum eſt, nihil, quod ratum, exploratumque ſit, umquam confici ex hoc poſſe. Certe Lazarus, auctore Chryſoſtomo (*t*), atque etiam Cyrillo Alexandrino (*u*), & Theophylacto (*x*), Vir nobilis, & clarus fuit. At ejus tamen nobilitatis Joannes adeo non meminit, ut ipſum potius tamquam unum de multis nominet, inquiens: *Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania*. Viduam quoque, cujus Filium unicum defunctum, ad vitæ munia Dominus revocavit, ex nobilibus Urbis Naim fuiſſe Ambroſius inſinuat (*y*), plerique Interpretes confirmant, & veroſimile valde eſt; verumtamen de hac ejus conditione nihil Lucas, qui factum hoc in ſuum retulit Evangelium.

XVIII. At enim *Regium apparatum, & comitatum aut innuiſſet, quo illuſtrior in Judæorum oculis fieret ſalutatio, glorioſior adoratio*. Paucis reſpondeo, Regium illum apparatum, comitatumque, quem a Matthæo vel deſcriptum, vel indicatum Auctor vellet, ad veritatem hujuſce Traditionis neutiquam pertinere; quidquid ii conjiciant, qui fortaſſe Regnum a pompa, Potentiam a ſuperbia diſtinguere neſciunt. Quin etſi Magi Reges proprie, nec Tuparchæ ſolum fuiſſent; nulla tamen ratio ad comitatum hunc, atque apparatum regium inſtruendum, nos adigeret. Quid enim? Nonne & magni etiam Reges aliquando abſque ullo apparatu, ac valde parvo comitatu, itinera longiora, & per externas Provincias habuere? Jam vero quum Chriſti ortum paucis Deus notum voluerit, auctore D. Thoma (*z*), nihil veroſimilius, quam Deum ipſum eam illis mentem dediſſe, ut magno comitatu, ac ſtrepitu non uterentur. Nam & amicos, & famulos haud illis in ſuis Oppidis, ac Regionibus defuiſſe, quibus magnifice comitati, pium illud officium exſequi potuiſſent, & Chryſoſtomus innuit (*aa*), & inferius animadvertenda probabunt.

XIX. Porro quod ait: *Si Regia dignitate aucti fuiſſent, Matthæus illos a nobiliori titulo deſignaſſet, nec ſimpliciter Magos dixiſſet, ſeu Philoſophos*. Ex hoc fortaſſe nonnullis videbitur, ipſum non ſatis æque de titulis æſtimare. Quæri etenim po-

(a) *Exercit.* 35. *n.* 1. (b) *In* 2. *Matth.* (c) *Diſſert.* 8. *de Myſter. & ann. Chr.* (d) *In* 2. *Matth. art.* 4. (e) *Serm. in Epiph.* (f) *Joſephina, Diſtinct.* 2. (g) *In* 2. *Matth. quæſt.* 6. (h) *In* 2. *Matth.* (i) *Ibid.* (k) *Serm.* 2. & 3. *in Epiph.* (l) *Epiſt. ad Sultanum apud Rainald. Tom.* 13. (m) *De Stella, & Magis.* (n) *Lib.* 1. *cap.* 8. (o) *Apud Combefiſ. Tom.* 6. (p) *In Matth. de Epiph.* (q) *Serm. de Epiph.* (r) *In Gloſſa.* (s) *Lib.* 2. *in Matth.* (t) *Homil.* 65. *in Evang. Joan.* (u) *Lib.* 7. *in Joan. cap.* 17. (x) *In cap.* 11. *Joan.* (y) *In Luc.* 7. (z) *Tert. Part. Quæſt.* 36. *Art.* 1. & 2. (aa) *Homil.* 6. *in Matth.*

potest, & quidem merito, utrum Regem, an Sapientem esse, atque appellari, nobilius vere sit, atque præstantius? Et quidem si cunctos Philosophos, præsertim Stoicos, de hujusmodi quæstione consulas, eam proculdubio secundum Sapientes definient. Apud nos enim Sapientiæ expers ne homo quidem, non modo non hominum Princeps habetur. Jam si de eadem ad Theologos referas, quid tandem aliud ab illis audies, quam divinum illud oraculum: *Melior est Sapientia cunctis pretiosissimis; & omne desiderabile ei non potest comparari* (*a*)? Facessant ergo paullisper ab hujusmodi quæstionum disceptatione ventosæ hominum cogitationes, & continuo palam fiet, quam apte, vereque dixerit Augustinus: *Tolle jactantiam* (Titulorum) *& omnes homines quid sunt, nisi homines?* Et paulo post: *Pro magno haberi non debet honor humanus, quia nullius est ponderis fumus* (*b*).

XX. Sed jam cominus: Petat quis ab Auctore, cur Scriptor libri Job tres illos Viri sancti Amicos, qui ad consolandum ejus dolorem iverunt, amicos quidem vocet, neutiquam vero Reges? Namque & fuisse eos Reges, satis innuit liber Tobiæ (*c*). Cur, inquam, de illorum apparatu nihil, nihil itidem de comitatu? An sincere id se ignorare fatebitur? Patiatur igitur æquo animo, & nos, & seipsum quoque, in re præsenti idipsum nescire. Jam si dicat, illud officii ad amicitiam potius, quam ad Regnum pertinuisse; ac proinde non hujus, sed illius tantummodo factam esse mentionem; eodem pacto & nos ipsi respondebimus, Magorum pietatem in Christum Infantem, ad virtutem utique, ac sapientiam, nequaquam ad mundanam nobilitatem, atque potentiam, referendam esse. Quamobrem nihil mirum, si Magi solum, haud Reges vocentur, tametsi non solum Magi, sed Reges etiam fuerunt.

XXI. Postremo, doceat nos Auctor, quid causæ fuerit, cur Sacri Evangeliorum Scriptores, Deiparam, Virginem quidem dixerint, at ejus tamen regale genus haud explicate, diserteque descripserint? Profecto si quidpiam in Servatoris historia plane dilucideque dicendum fuit, id potissimum, quod Virgo e Davidica stirpe prodierit, apertissime commemorandum videri posset. Hinc enim illico constitisset & Servatorem ipsum, non opinione, sed natura, ad eamdem Davidis familiam pertinere, & verum proinde (quantum nempe ad hoc attinet) atque exspectatum esse Messiam; nec nobis adversus Hebræos, ex hoc maxime loco in Christum Dominum, atque in nos insultantes, acutis, solertibusque Interpretibus opus esset. Nimirum, ut frequentius hoc urgeam, argumenti genus a Sacrorum Scriptorum silentio, aut reticentia, quod nonnulli Recentes passim, sæpe etiam, unice obtendunt, non modo non exploratum, verum etiam lubricum, ac valde periculosum est: quippe quod & ii etiam usurpare plerumque solent, qui dogmata præcipua, ipsaque adeo fundamenta Religionis invadunt. Negat Socinus, ut a re paulo digrediamur, baptizari oportere Christianorum Filios; sat enim esse, ut hi Christiani sint, quod eorum Parentes Christo per baptismum initiati fuerint (*d*). At quibus tandem argumentis rem tantam adgreditur? gravissima quippe, atque exploratissima sint oportet, ne tot hominum salus in summum discrimen veniat: *Quia*, inquit, *in Sacris litteris exemplum nullum exstat de Christianorum Filiis Baptismate consecratis*. Argumentum, si Deo placet, & magnum, & necessarium; sed quo tamen & impius iste suo veluti jure uti potest, quandoquidem quum aliis, tum nostris Criticis, atque Eruditis frequenter in usu est. Quid igitur restat, nisi iterum, ac sæpius Apostolicum illud ingerere: *Itaque Fratres state, & tenete Traditiones, quas didicistis* (*e*)? Nulla enim hæresis umquam invecta est, nisi contemptu Traditionum; nec ullum umquam dogma probe defensum, ac stabilitum est, nisi antiquis, communiterque receptis Traditionibus; ut sane ii, qui illas tantopere aversantur, sibi ipsi vias intercludere, vestigia veritatis delere, ac *magis tenebras, quam lucem diligere videantur* (*f*).

XXII. Jam quod Herodes cum Magis egerit pro imperio, illosque inferioris conditionis homines sit allocutus; id illud duntaxat efficit, quod ultro damus, Magos, nempe, cum magnis Regibus conferendos non esse; inter quos quum suus Herodi locus haud dubie constet, valde mirum non est, si cum eis egerit, locutusque sit, tamquam cum inferioris conditionis hominibus. Quamquam in hisce, aliisque id genus locutionibus, non tam verba ipsa de se, quam ejus, qui loquitur, gestus, ac modus, auctoritatem, atque imperium ostentare solent. Itaque si tibi fingas, Herodem vultu ad majestatem composito, elata fronte, ac superciliis, verbis illis voce graviori prolatis, Magos ab se dimittentem: *Ite, interrogate, mihi renunciate*; imperiosum hominem videre videberis, illosque præceptis superbius onerantem. Contra si illum cogites vultu, oculis, fronte hilariore, ac voce placida, ipsam illam loquendi formulam usurpantem; jam tibi omnia videbuntur humanitatis, ac lenitatis plena, appellatio comis, dimissio grata, invitatio ad redeundum liberalis. An contendes, ea verba nisi imperiose, ac severiori modo proferri non posse? Atqui inter amicos etiam, & pares (ubi nihil pro imperio) frequentius auditur: Ito, interrogato, mihi renunciato. Herodes porro etsi alioqui Rex superbus, & improbus, quam tamen in dolis, simulatione, malis artibus versatus fuerit, neminem in hisce rebus paulo eruditum latet, atque vel ipsa Evangelica hujus facti narratio, satis indicat; ut sane verosimillimum sit, multa ipsum comitate, humanitateque usum fuisse, tametsi Magi vulgaris, communisque conditionis homines exstitissent.

XXIII. At enim *incredibile est, Reges exteros in alienam ditionem ingressuros fuisse, nullis præmissis Nunciis, & Legatis ad Herodem*. Profecto si magni Reges, ac proprie tales fuissent Magi, credibile foret, eos id itineris haud ingressuros fuisse, nisi præmissis Legationibus. Ad has autem sollennitates, & ritus nequaquam obstringi minus potentes, atque unius, alteriusve loci Toparchas, vel ipsæ horum crebræ itiones, reditionesque ad Civitates principes, nulla ejusmodi præmissa cautione, satis nos edocent.

XXIV. Quod vero mox Auctor observat, *Incredibilius esse longe multo, Reges, quorum pro dignitate tantillus fuisset comitatus, Bethleemo clancælum discedere potuisse, quin statim internuvisset Herodes, sexto duntaxat milliario degens*. Id quidem Judæis, atque Gentilibus argumentum non leve suppeditat ad Evangelicam hanc historiam vel to tam accerrime divexandam. Etenim si de harum rerum veritate hisce, aliisque id genus ratiunculis, & conjecturis pronunciare fas est, difficilius multo erit Magorum adventum, quam eorum nobilitatem, regalemque conditionem adferere. Nam quis

(a) *Proverb.* 8. 11. (b) *Lib.* 3. *de Civit. cap.* 17. (c) *Cap.* 2. 15. (d) *Apud Joann. Cleric.* T. 10. *Biblioth. Selectæ pag.* 228. (e) *Ad Thessalonic.* 2. 14. (f) *Joann.* 3. 19.

quis demum, cui alioqui compertum est Herodis ingenium, atque immanis regnandi, adeptique Regni stabiliendi cupido, non continuo incredibile habeat, ipsum hacce in re indiligenter adeo se gessisse, ut ne unum quidem cum Magis miserit, aut palam, aut clam, qui de nato, ac invento Puero certiorem se redderet? Certe turbatus ipse est statim atque audivit, Judæorum Regem natum esse. A Scribis quoque, ac Sacerdotum Principibus, ad quos ea de re confestim retulit, majoris etiam turbationis causa prolata est, Messiæ natale solum, & quidem adeo propinquum, interpretantibus. Itaque a Magis clam accitis, *diligenter* [quo solo verbo longum, accuratumque colloquium Matthæus denotat) de Stellæ apparitione perconctatus est. Unde jam, quæso, illa tam agitatæ mentis pacatio, seu potius incuria, perquisitæque adeo, ac pæne deprehensæ rei negligentia? *Ite, interrogate, renuntiate?* Id longe abest a nota Herodis indole, atque ab instituta hujusce rei sedula, solicitaque conquisitione: quin potius nihil his magis consentaneum, quam immissurum ipsum fuisse in Bethleem militum legiones, vel saltem non paucos exploratores adhibiturum fuisse. Quid, quod incredibile prorsus videtur, Civitatem tam magnam, quæque Messiam jamdiu, tum vero in dies etiam expectabat, incuriosam adeo, vel sui potius negligentem fuisse, ut nemo unus in ea repertus sit qui de re tanta, quidpiam scire curaverit; atque utrum veridici, an nugatores Magi forent, experiri voluerit? præsertim quum illud iter & brevissimum, & facillimum esset?

XXV. Nimirum, si de re hac tota hisce, ac similibus conjecturis disceptandum est, in magnas difficultates nos ipsi conjiciemus, e quibus expediri haud erit in promptu. Quamobrem Chrysostomus posteaquam plures hac ipsa de re dubitandi rationes attulit, mox sapiens illud subjunxit: *Vides ne quanta hinc absurda nascantur, si juxta humanam consequentiam, moremque communem, hæc esse intelligenda credamus* (*a*)? Nec vero Patres tantummodo, cæterique gravissimi Sacrarum Scripturarum Interpretes, sed ipse etiam hæresiarcha Calvinus, hæc sine miraculo fieri haud potuisse confirmat. Ait quippe: *Non dubium est, quin Deus mentem ejus* (Herodis) *perculerit innusitato metu, ut consilio destitutus, menteque alienatus ad tempus torperet . . . . . Quare sciamus, non nisi miraculo elapsum tunc fuisse Filium Dei ex faucibus leonis* [*b*]. Quando itaque Magorum res plane contigit præter communes humanorum eventuum leges, præter consuetas mundanæ prudentiæ, ac nostrarum argumentationum conclusiones, quid tandem efficere moliuntur isti, hisce aliisque ratiunculis, & conjecturis? Porro Magos parvo comitatu usos fuisse, verosimile valde est; & fortasse non ante vesperum Bethleem pervenisse, eademque nocte, quum pium officium exequutos esse, tum, *responso accepto in somnis, in Regionem suam reversos fuisse*. Si ita hæc evenere, ut quidem evenisse verosimillimum est; quid mirum, si parvus, vel nullus rumor de iis apud Bethleemitas excitatus est, indeque ad Herodis notitiam nihil perlatum fuerit?

XXVI. Sed pergit Auctor nos urgere, & validissime quidem, ut arbitratur. Ait enim: *Confirmat idem vel maxime, quod nullus veterum Patrum Regiam Magis illis dignitatem attribuerit, nullus illos a Regia dignitate commendarit; sed a Sapientia, siderumque cognitione. Primus omnium Theophylactus hanc illis dignitatem attribuit, qui certe nec probatæ auctoritatis, nec venerandæ antiquitatis Scriptor est, qui fidem in hujusmodi quæstionibus integram faciat, quippe qui Sæculo duntaxat XI. floruit*.

XXVII. Equidem inter temere dicta, non postremum illud arbitro, quo quis nihil hæsitans, affirmate profert, hunc, illumve Scriptorem, hoc, vel illud primo invexisse. Oportet enim, ut præteritorum omnium Scriptorum lucubrationes perspectas is habeat, qui id, vel tale aliquid confirmare non dubitat. Atqui Thrasonis alicujus, nequaquam modesti hominis esset, de tanta, hoc est, infinita propemodum lectione, atque memoria gloriari. *Primus omnium Theophylactus*, inquit Auctor, *hanc Magis dignitatem attribuit*; pertinet is vero ad finem undecimi sæculi. Et enim Augustinus Leo, is qui Sapiens vocabatur, qeique ducentis ferme annis ante illum floruit, Magos Regia dignitate diserte ornat, his verbis: *Stella Regum ductrix, jacentisque in Præsepi Regis eosdem adoratores admonens &c.* [c] Paschasius Ratbertus, qui vixit ante dimidium noni Sæculi, eos Reges fuisse explicate tradit, inquiens: *Nam, & in his Regionibus, ad Orientalem Plagam Jerosolymorum, Magos Reges exstitisse, nemo, qui historias legit Gentilium, ignorat; quo profecto Reges eos fuisse opinamur*. Strabo Fuldensis, ejusdem quoque temporis Scriptor, in Glossa ordinaria, eos a Regia dignitate commendat: ait quippe: *Hi autem Magi Reges fuerunt*. Gaymo Halberstatensis ad eamdem ætatem pertinens, in eadem etiam sententia est: hæc enim habet ad illa verba Psalmi 71. *Reges Arabum, & Saba &c. Quod est completum in Nativitate Christi, quum illi Reges, Stella duce, Christo Domino diversa munera obtulerunt*. Nec profecto aliud arbitror significari verbis illis Alcuini, de Magorum adoratione loquentis: *Quem tiaratis vultibus adorantes &c.* (*d*) nisi regiam illorum conditionem. Postremo, qui hos centum circiter annos præcessit, Venerabilis Beda, de Magorum Regia conditione perspicue loquitur, ad eadem verba ejusdem Psalmi, *Reges Tharsis &c. Quod*, inquit, *non incongrue de tribus Regibus Magis potest accipi, quantum ad litteram*. Quin etiam Ildephonsus Toletanus, quinquaginta ferme annis ante Bedam, regiis titulis Magos decorat, inquiens: *Vide ergo primum Stellam . . . . per ignota loca præire devotissimos Reges hospitium demonstrare nascentis, toto & nisu ostendere, quod solus iste adorandus sit Deus, qui ducatu suo adorantes subdidit Reges*. (*e*) Nec vero prætermittendum est, Ravennæ in Ecclesia S. Apollinaris Novi, jam inde a sexto sæculo delineatam fuisse musivis Picturis Magorum historiam, viderique illic tres Magos regiis coronis insignitos, Christo puero munera offerentes. Consulantur vetera Monumenta Joannis Ciampini (*f*).

XXVIII. Jam quod *Nemo veterum Patrum Regiam Magis dignitatem attribuerit*, equidem nec verum censeo, nec facile concesserim. Inter hos enim Chrysostomus haud dubie connumerandus est; qui tamen *Homilia in Salvatoris Nativitate* (quam nemo Recentium ei audet abjudicare, propterea quod Cyrillus Alexandrinus, libro ad Reginas, duo ex illa protulerit testimonia) Magos nostros Reges fuisse disertissime scribit. Ait enim sic: *Siquidem Reges venerunt, & cælestem Regem suspexerunt, quod in terram venerit, non Angelum secum habens . . . Sed nova, & minime trita incedens via, ex illibato processit utero . . . . Sed Reges quidem venerunt, ut cælestem Regem gloriæ adorarent &c.* (*g*) Tertulliani de hac re testimonium, non mihi solum, sed Natali etiam Alexandri (*h*), Samueli Basnagio, ac eruditis Bene-

(a) *Hom.* 6. *in Matth.* (b) *Harmon. Evang. Pag.* 37. (c) *Apud Combefif. tom.* 6. *Biblioth. Pag.* 352. (d) *Lib. de Div. Off.* (e) *Lib. de Virginit. B. Mariæ cap.* 9. (f) *Part.* 2. *cap.* 12. (g) *In* 2. *Matth.* (h) *An. ante Dominum* 5. *num.* 51.

Benedictinis in notis ad Opera D. Hilarii (*a*), luculentum satis, ac planum videtur. Et profecto nimis ab re ad illa verba Scripturæ, *Reges Arabum, & Saba munera afferent illi*, subjunxisset Tertullianus, *Nam & Magos Reges habuit fere Oriens* (*b*), ut inde conficeret, Vaticinium illud in Magis, Christum puerum adorantibus, ac muneribus honorantibus. completum esse. Quid enim attinuisset commemorare, Magos Reges habuisse Orientem, siquidem id neque ad Evangelicos Magos, neque ad hujus loci illustrationem pertinuisset? Quid, quod acutissimus ineptus plane ac perridiculus foret, contendens, in adventu paucorum vulgarium, ac pauperum hominum, pauxillum auri, turis, ac myrrhæ deferentium, completum fuisse illud grande, ac magnificum Isaiæ vaticinium: *Quoniam priusquam cognoscat Puer vocare Patrem, & Matrem, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ, adversus Regem Assyriorum?* Namque & hic proculdubio quadraret vulgatum illud, *Parturient montes &c.* At vero multo commodior hæc evadet interpretatio, siquidem Magi Viri fuerunt opibus, ac nobilitate potentes, & clari. Porro his ipsis Tertulliani verbis usus est Isidorus Hispalensis (*c*).

XXIX. Nec minus perspicua est hac ipsa de re Hilarii Pictaviensis sententia, quamvis eam Calmetius affirmet nescio qua magna obscuritate esse involutam (*d*). Explanans etenim is Sanctus Doctor locum illum Isaiæ, *Laboravit Ægyptus, & mercatus Æthiopum, & Sabain*; hæc habet: *Et qui tandem existimandus labor Ægypti, & mercatus Æthiopum, & Sabain? Recordemur Orientis Magos adorantes Dominum, & munerantes, & labrem veniendi usque in Bethleem Judæ tanti itineris metiamur. In Principum enim labore totius Ægypti labor demonstratus est... In Magis itaque & muneribus, labor Ægypti, & mercatus Æthiopum, & Sabain ostenditur &c.* (*e*) Profecto nostros Magos Viros Principes fuisse, explicatius affirmari non potuit. *In Principum*, inquit, hoc est, Magorum, *labore, totius Ægypti labor demonstratus est*. Sed audiamus eruditos hujus Operis Editores; hæc enim adnotant ad hunc locum Hilarii: *Hic de Magis duo tradit Hilarius, eos scilicet & Principes fuisse, & magicæ arti deditos; quod alterum plures ex antiquis cum eo docuisse, jam observatum est pag. 613. not. 6. Reges quoque eos fuisse scribit Tertullianus lib. 3. contra Marcionem, n. 13. ubi enarraturus illud Psalm. Reges Arabum &c. subjicit: Nam & Magos Reges habuit fere Oriens. Cui consentit Hieronymus Comment. in Daniel Cap. 2. sic & Cæsarius Arelat. in Appendice sermonum Augustini, Serm. 139. n. 3. Illi Magi tres Reges fuisse dicuntur . . . . . Qua ratione explicatur, qui omnes de Sabain ad Christum venerint; quia nimirum, uti declarat Hilarius in Matth. cap. 14. n. 7. Populi Princeps subjectæ sibi Universitatis nomen, causamque complectitur.* Nimirum, nullam hi Viri eruditi in verbis Hilarii obscuritatem cernunt, sed consignatam iis potius plane, atque dilucide hanc Ecclesiæ Traditionem.

XXX. Ad Cæsarii locum quod attinet, etiam hunc isti quum nimis ambiguum, tum minus etiam sincerum existimant, idque propterea quod vox illa, *Reges*, inter parentheses conclusa legitur, ad hunc modum: *Illi Magi tres (Reges) esse dicuntur*; unde conjiciunt, eam vocem haud esse Cæsarii, sed a nescio quo postmodum additam. Sed profecto quum hujusmodi conjectura neque ullis innitatur codicibus, nec necessaria ratiocinatione stabiliatur, eam multis refellere haud opus est. Et sane quum alii Scriptores ante Cæsarium, Evangelicos Magos *Reges* vocaverint; nihil est causæ, cur ipsum ea voce, non usum fuisse, nec uti adeo potuisse, contendere debeamus. Parenthesin vero adhibere potuit, ut ea veluti nota Magorum conditionem distinctius observatam vellet. Porro Calmetius, ut id interim adnotem, memoria fallitur, quum ad enervandum Theophylacti testimonium, Magos Reges appellantis, advertit, non hoc tradere Nicephorum, *etsi eo vetustiorem*. Est namque Theophylactus Nicephoro amplius ducentis annis antiquior.

XXXI. Ea vero, quæ idem Scriptor mox subdit, absque peculiari animadversione prætermitti non possunt. Ait enim, & mea quidem sententia parum considerate: *Conatuum se nonnihil, Regiam dignitatem nostris Magis adserere, siquidem id Ecclesia flagitaret*. Etenim, vel monumenta, quæ exstant ejusmodi sunt, ut iis Regia Magorum dignitas satis probabiliter defendi possit; & causam non video, cur id fieri non debeat, si minus Ecclesiæ, non tantopere id exigentis, ipsius saltem rei, ac veritatis studio. Vel adeo debilia, nullisque roboris sunt, ut ne ad id quidem probabiliter constabiliendum sufficiant; & sic vani proculdubio, futilesque conatus ejus evaderent, etiam si Ecclesia pro Magorum Regia dignitate sese amplius explicaret. Nisi si forte recondita apud se habeat documenta aliqua validiora, exspectetque ad ea depromenda necessitatis articulum. Jam vero etsi adhuc nihil Ecclesia de Magorum nobilitate, ac dignitate constituit; attamen antiqua, communis, perpetuaque ejus vox illos decorat Regiis titulis, & nuncupatione. Communis autem Ecclesiæ Vox, & consensio nulla umquam in re absurditatis, inanitatisque convinci potuit, quamvis & Gentiles, & Hæretici, & minus pii, innumeris dolis, calumniis, fraudulentis interpretationibus id efficere conati fuerint. Itaque si parum verosimile habendum est, id quod equidem haud invite concesserim, Evangelicos Magos Reges magnos, ac proprie tales fuisse; attamen uti Reges habendos esse, laxiori hujus vocabuli significatione, hoc est, Regulos, vel Toparchas, vel Viros apud suos illustres, atque potentes, absque insigni temeritate, ut mihi quidem persuadeo, inficiabitur nemo. Confirmat id etiam explicate antiquus Scriptor Juvencus Presbyter, inquiens:

Gens est Eoi Phœbo orto proxima Regni,
Astrorum sollers ortusque, obitusque notare,
Hujus Primores nomen tenuere Magorum:
Hinc lecti Proceres Solymas per longa viarum
Devenient.

XXXII. Quin etiam apertius fortasse, atque distinctius, quam noster Auctor aut credit, aut vellet, communi sententiæ sacræ Litteræ suffragantur, verbis illis: *Apertis Thesauris suis obtulerunt ei munera, Aurum, Thus, & Myrrham*. Profecto si Magi homines fuissent inopes, atque vulgares, commodius, ut opinor, dictum foret, eos e facculis, vel perulis tantilla munera obtulisse; nec fortassis Evangelii Scriptor usus esset magnifica illa, amplaque, at rei tamen tenuissimæ minus apta descriptione, *Apertis Thesauris suis, obtulerunt ei munera*. Nam quod regerit Auctor, *Thesaurum arcam quamcumque dici, qua pretiosæ res continentur, sive privati sit, sive Principis*; idque comprobat testimonio Lucæ 12. *ubi Thesaurus vester est, ibi & Cor vestrum erit. Quod*, inquit, *omnibus a Christo Domino dictum est*. Id ad nubeculas illas pertinet, quibus novi isti Factorum illustratores, res vel perspicuas adspergere solent. Etenim etsi vox *Thesaurus*; commoda translatione ad rem omnem, quam plurimi facimus, ac eximiam habemus, frequentius usurpatur, eaque doctrinæ causa, aptissime & illic, & alibi usus est Christus Dominus; attamen in simplici, propriaque locutione, cujusmodi est hæc Evangelii, non arculam, aut sacculum denotat, ubi unus, vel alter nummus aureus, ac Thuris, & Myrrhæ semuncia reconditur; sed ubi harum, aliarumque id genus pretiosarum rerum copia non exigua conservetur. Alioqui pari proprietate dici posset, Viduam illam pauperem e suo *Thesauro* duo minuta misisse in Gazophylacium: ipsumque adeo Christum Dominum *Thesauros* apud se habuisse, propterea quod loculos habuit, quorum Custos Judas erat. Dices fortasse, res minimas, tametsi natura pretiosas, Thesaurum illas quidem de se minime constituere; attamen possidentium æstimatione Thesaurum dici posse, si nempe præter modum caras illas habeant; quo certe pacto Christum Dominum Thesauros habuisse dici non potest, tametsi loculis usus est. Respondeo, hac ipsa observatione adsertionem nostram maxime confirmari. Etenim Magorum Arculæ nec de se Thesauri fuissent, si quidem illi homines exstitissent pauperes, atque vulgares; neque illorum æstimatione ad magnificam hanc appellationem evehi possent. Quis enim sibi facile persuadeat, Viros Sapientes, ac probos tantillum Auri, Thuris, ac Myrrhæ magni adeo fecisse, ut illud habuerint Thesauri loco?

XXXIII. Atque huic nostræ interpretationi satis diserte suffragantur Maximus Taurinensis, & Petrus Alexandrinus. Ait quippe ille: *Hic, qui sordentibus circundatur pannis, regiis per Chaldæos muneribus honoratur* (*a*). Et alio in loco: *Ecce enim Chaldæi. . . intellexerunt Nativitatem Christi . . . Nec sane a quibuscumque vilibus, obscuris, abjectisque hominibus hæc sunt vel intellecta, vel visa, sed a Chaldæi &c.* (*b*) Sane contemptorum hominum, atque vulgarium nequaquam est, muneribus Regiis quempiam donare. Quin videtur mihi clara, atque spectata Magorum conditio hisce verbis perspicue, designari. Petrus vero Alexandrinus, *Magi*, inquit, *Infantem adorant, suos Thesauros aperientes, & ei offerentes maxime opportuna, & magnifica dona* (*c*). Atqui homo pauper, tenuisque census, votis quidem, & animo magnificus esse poterit, re tamen ipsa nequaquam. Ait namque philosophus: *Quocirca nemo pauper magnificus esse queat, quia non habet, unde sumptus convenienter, & decore facere possit; & qui conetur, stultus sit habendus &c.* [*d*]. Oportet igitur Magos nostros viros illustres, atque opulentos fuisse, quandoquidem Christum Infantem Regiis, magnificisque muneribus donare potuerunt; & quod consequens est, illorum thesauros non Cynicas perulas, aut sacculos triobolares, sed Arcas fuisse satis divites, rebusque pretiosis probe refertas.

XXXIV. Quoniam vero Ecclesiæ Patres pæne omnes, atque Scriptores, qui his de rebus egerunt, ipsaque adeo Ecclesia in Sacris Epiphaniæ Sollenniis, ad rem præsentem Vaticinium illud applicant ex Psalmo 71. *Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent*. Tum illud etiam Isaiæ 60. *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui*: unde plerique pro communi sententia, & satis quidem probabiliter, argumentantur. Respondet Auctor: *Hæc peculiariter dicta non esse de Magis Christi nascentis adoratoribus; sed generatim, & universe de Regibus Gentium, Nationumque Barbararum, ad Christi cultum quomodolibet advocandis*. Subdit vero: *Certe quicumque pertinaciter voluerit, laudatum Oraculum Psalmi 71. peculiariter, ac singulariter de Magis Christi nascentis adoratoribus fuisse pronunciatum, ut hinc Reges illos fuisse colligat; concedat quoque necesse est, fuisse illos Reges, non qualescumque, sed Reges Tharsenses, Insulanos, Arabes, Sabæos, ac etiam Æthiopes. Quid plura? Concedat necesse est, omnes Reges Terræ ad Christi nascentis Præsepe convolasse: sic enim habet integer Psalmistæ locus: Coram illo procident Æthiopes . . . . Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent; Reges Arabum, & Saba dona adducent; & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes servient ei. Quod idem de altero Isaiæ oraculo dici potest. Quis ergo non videat, dictum id esse generatim, & universe de vocatione Gentium ad fidem, qui prædicationis Evangelicæ fructus futurus erat? Ab Ecclesia autem in Epiphaniæ sollennitate iccirco recitari, quod in Magis Christi nascentis adoratoribus, primitiæ vocationis Gentium celebrantur; ut ex Patrum sermonibus ea die habitis, perspicuum est.*

XXXV. Concedimus quod Auctor ait, Magos Christi Infantis adoratores, Gentium ad Ecclesiam convenientium, primitias exstitisse. At unde, quæso, ipse conficiet, oportuisse, primitias Gentium, homines esse vulgares, inopes, despectos? Unde, inquam, planum faciet, Magos nec Reges, nec Viros celebres esse potuisse, propterea quod primitiæ Gentium fuerint? Quod enim ad nos attinet, inter hæc repugnantiam nullam agnoscimus. Quapropter quum antiqua, & communis Ecclesiæ vox utrumque confirmet, vehementer negamus, iccirco solum in Epiphaniæ sollenniis Ecclesiam his uti Vaticiniis, quod Magi primitiæ Gentium fuerint; sed ad eorum etiam nobilitatem, regiamque conditionem manifestandam illa Oracula recirari contendimus. Nam quod ipse prætendit, *Hæc peculiariter dicta non esse de Magis, sed generatim, & universe de Regibus Gentium ad Christi cultum quomodolibet advocandis*. In primis non desunt Scriptores, & ii quidem valde celebres, qui isthæc Oracula, si littera spectetur, de nostris Magis commode intelligi posse consentiant. Hæc enim habet Beda ad illa verba Psalmi 71. *Reges Tharsis &c. Quod non incongrue de tribus Regibus Magis potest accipi, quantum ad litteram: Mystice vero sic intelligitur &c.* Haymo Halberstatensis ad eumdem hujus Psalmi locum, *Quod*, inquit, *est completum in Nativitate Christi, quum illi Reges, Stella duce, Christo Domino diversa munera obtulerunt*. Eusebius Cæsariensis ad illa verba ejusdem Psalmi: *Et dabitur ei de auro Arabiæ: Secundum historiam*, inquit, *impletum illud fuit, quando Magi ab Oriente venerunt, & Servatorem tunc puerum adoraverunt, obtuleruntque ei Aurum, Thus, & Myrrham*. Itaque & de Magis ad litteram, & de aliis tam Regibus, quam Nationibus, figurata, atque etiam historica locutione, isthæc Oracula satis commode intelliguntur. Nec ita una interpretatio probanda est, ut omnino repudianda sit altera. Si cui vero id minus arridet, atque aliter ratiocinandum videtur, huic illud Augustini regerimus adversus eos, qui terrestrem Paradisum inter figuras meras connumerabant: *Quasi propterea non potuerit esse Paradisus corporalis, quia potest etiam spiritualis intelligi. Tamquam ideo non fuerint duæ Mulieres Agar, & Sara, & ex illis duo filii Abrahæ, unus de Ancilla, alius de Libera, quia duo testamenta in eis figurata dicit Apostolus* [*e*].

XXXVI.

(a) *Lib.* 4. *de Trinit. n.* 38. (b) *Lib.* 3. *contra Marcionem, cap.* 13. (c) *De Nativ. Domini cap.* 14. (d) *Dissert. Sur. les Mag.* (e) *Lib.* 4. *de Trinit. n.* 38.

(a) *Hom.* 3. *in Nat. Dom.* (b) *Homil.* 5. *in Epiphan.* (c) *Canon.* 13. (d) *Ethic. lib.* 4. *cap.* 4 (e) *Lib.* 13. *de Civit. cap.* 21.

XXXVI. Neque vero, quum ista dicimus, consequens est, ut illud itidem concedamus, Magos, nempe, fuisse Reges, *Non qualescumque, sed Reges Tharsenses, Insulanos, Arabes, Sabæos, ac etiam Æthiopes*: Immo vero, *Omnes Reges terræ ad Christi nascentis Præsepe convolasse*; quæ minus erudite congerit, atque objicit noster Auctor. Sat etenim nobis est, si a Christi ortu hujusmodi Vaticinia impleri cœperint; deinceps vero, atque paulatim integre, perfecteque completa sint: *In oblatione ista Magorum*, inquit Dionysius Carthusianus, *ex parte impletum conspicimus, quod Isaias prædixit, Omnes de Saba venient &c. & quod ait Psalmista, Reges Tharsis, & Insulæ &c.* [a]. Nec dissimiliter quum hæc, tum alia hujusmodi Scripturæ loca interpretatur Julianus Toletanus (b). Porro Magos fuisse Arabes; nempe ex Arabia fælici, ad quam Sabæi etiam pertinent, quidquid Auctor, aliique repugnent, probabile satis est, habetque propugnatores quum antiquos, tum recentes, haud facile contemnendos. Nec Auctoris animadversiones, quibus hanc opinionem refellere nititur, ullam gravem difficultatem afferunt. Harum etiam prima est, *Quod Arabia non ita distet a Judæa*. Sed hæc observatio non modo non obstat, sed etiam favet huic adsertioni: quippe quæ consonat cum sententia communiori, quod Magi ad Christi cunas advenerint die sexta Januarii. Nam quod Evangelii verba: *Ecce Magi ab Oriente venerunt*, remotissimam ab Judæa Orientem versus, Regionem denotent, uti Auctor existimat, debilis est conjectura. Alioqui quum Prophetæ mala Judæis *ab Aquilone* vaticinantur, remotissimos Aquilonares oporteret intelligi (c); quum tamen hoc de Caldæis, non ita ab Judæa remotis, quum alii, tum ipse etiam interpretetur. Altera est, *Quod Magorum nomen sit apud Arabes inauditum*. Atqui de Magis Arabiæ difertim Plinius locutus est, hæc scribens de Pythagora, atque Democrito: *Ambo peragratis Persidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptique Magis* (d).

XXXVII. Tertia est, *Quod in aliis novi Testamenti locis, ubi de Arabia fit sermo, proprio nomine nuncupetur, ut ad Galatas cap.* 1. & 4. At ideo quæritur de Magorum regione, probabilemque tantummodo dicimus opinionem, de qua agimus, quia Evangelium de ea explicate non meminit. Jam vero contendere, planam de Arabia mentionem habiturum fuisse D. Matthæum, siquidem Magi ad eam regionem pertinuissent, propteresa quia alibi in novo Testamento Arabia proprio nomine nuncupetur; conjectura prorsus futilis est. Certe ubi de Roma in plerisque ejusdem novi Testamenti locis habetur sermo, proprio nomine appellatur. Ergone, contra receptissimam interpretationem negandum erit, *Babylonis* vocabulo apud Petrum (e), & Apocalypsim, urbem Romam significari (f)? Quarta denique est, *quod momenta, quibus hæc opinio maxime nititur, facile exsufflentur: nititur enim Oraculo Davidis, Reges Arabum, & Sabæ &c.* Sed an hæc momenta inania sint, an rem potius apte, probabiliterque conficiant, id est nimirum quo de nunc disceptamus. Neque enim concedere cogimur, *Magos fuisse Reges, non qualescumque, sed Reges Tharsenses, Insulanos, Æthiopes*. Alioqui ipse Auctor nos doceat, ubinam gentium fuerit hoc Regnum Tharsis. Haud enim, ut opinor, ignorat, quanta da hac re sit inter Scriptores dissensio. Alii quippe nomine Tharsis Carthaginem intelligunt; alii Tyrum; alii Ciciliam; Indicas Provincias alii, vel Cyprum, vel Bæticam, vel etiam *omne Pelagus*, ut censet Hieronymus [g]. Nec minor discordia est de vocabulo *Insulæ*: quidam enim eo intelligi arbitrantur Reges Insularum Indici, atque Oceani maris; quidam vero earum duntaxat quæ in mari hoc nostro, quod Mediterraneum dicimus, sitæ sunt. Quando itaque nec Auctor ipse, ut puto, quidquam hac de re habet, quod certum fit, atque exploratum; qui tandem nos adiget ad affirmandum, *Magos Reges fuisse Tharsenses, atque Insulanos*? Sit itaque probabile venisse illos ex Arabia (cui etiam nonnulli Ætiopiæ nomen accomodant) vel ex Caldæa; probabileque itidem sit, hujusmodi Vaticinia impleri cœpisse ab ipso Servatoris ortu, non quidem utcumque, sed valde nobilium, ac potentium Virorum adventu; quod eadem Oracula non obscure prænuntiant. Ad reliqua quod attinet, non multum in præsens intereſt, si ea, aliaque id genus Oracula, pluribus, diversisque modis ab Interpretibus exponantur.

XXXVIII. Sed instat Basnagius, urgetque nos loco quodam Origenis. Is namque Herodem a Magis delusum ad hunc modum loquentem facit: *En ego, qui domui Provincias &c. deludor nunc a Magis, & ab alienigenis veluti nullus irridaor: decidi a potentia mea; a miseris hominibus illudendus devenio* (h). Ad quæ Origenis verba hæc ipse adnotat: *Principes ne in miserorum hominum numerum retulisset Herodes*? Verum quum ipse Nicephoro adsentiatur, confirmanti, Magos nobilitate generis, atque opibus insignes fuisse, hanc ejus observationem in ipsummet referimus: etenim si parum verosimile habendum est, Herodem in miserorum hominum numerum retulisse Regulos, ac Toparchas; minus etiam probabile censendum erit, ipsum in eum numerum conjecisse Viros nobilitate, atque opibus insignes. Quamquam fortasse non deerunt, qui diligentiam, accurationemque paulo majorem in hoc Scriptore desiderent. Nam quis demum iratæ, frementisque, atque in convicia prorumpentis superbiæ testimonium, adversus eos, quos insectatur, uti grave, atque veridicum usurpabit? Quasi vero de Ænea, exempli causa, atque Trojanis, quod *scelerata gens* fuerit, testis idoneus, atque probabilis sit Turni furor (i).

XXXIX. Porro Amalarius Fortunatus, qui nono sæculo floruit, quique libro de Ordine Antiphonarii, verba hæc habet, quæ a communi sententia dissentire videntur, *Magorum benevolentia, qui communes erant homines, nobis imitanda est; versutia Herodis, qui videbatur Princeps, & Rex esse in Populo Judaico, vitanda est*; commode, ut opinor, exponi potest, si dixerimus, ipsum hisce verbis Magorum conditionem cum Herodis dignitate contulisse. Namque Viri etiam nobiles, & opulenti, atque adeo Toparchæ, Regulique, si cum magnis Regibus, ac proprie tabulis conferantur, non absurde inter communes homines referuntur. Atque eadem est sententia illorum carminum Mantuani:

Nec Reges, ut opinor, erant: nec enim tacuissent
Historiæ Sacræ Auctores genus istud honoris,
Inter mortales, quo non sublimius ullum.

Difertim quippe de magnis Regibus loquitur, inter quos Magos recensendos negat; horum enim, non Regulorum, aut Toparcharum, dignitas summa est, & mundanarum omnium sublimior.

XL. Ne vero quis ambigat, vel etiam audacter negat, Christi ortus tempore ullos exstitisse in

(a) *In* 2. *Matth.* (b) *Lib.* 1. *contra Judæos.* (c) *Exercit.* 34. *n.* 6. (d) *Lib.* 25. *cap.* 2. (e) *Epist.* 1. *cap.* 5. (f) *Cap.* 4. & 16. (g) *In Hierem. cap.* 10. (h) *Homil.* 3. *in Diversos.* (i) *Æneidos lib.* 9.

in illis regionibus hujusmodi parvos Reges, unius, alteriusve Urbis Dominos, inutile haud erit, rem paucis, ex probatis, idoneisque Scriptoribus illustrare. Plutarchus itaque in vita Luculli (paulo Christi ætatem is anteceſſit) Tygranis Armenii fastum, atque insolentiam describens, plerosque Dynastas in Syria, propinquisque regionibus imperasse commemorat: Mox vero, *Reges*, inquit, *serviebant ei multi: Quatuor autem habebat in comitatu suo apparitorum, vel satellitum loca. Hi si equo incederet, pedibus juxta in tunicis currebant. In solio sedenti, ac responsa gentibus danti, apparebant pectinatim, complicatis inter se manibus, quæ videbatur effigies, præcipue confessio esse servitutis*. Profecto hos Reges tam inhoneste, ac præter dignitatem habitos, Reges magnos, multarumque Urbium fuisse Dominos, verosimile nequaquam est. Neque enim ad istos pertinent & Mithridates Ponti, & Phraates Parthiæ, & Antiochus Eusebii Syriæ, & Aristobulus Judææ, aut alius ullus magnæ alicujus ditionis Rex; sed plerique duntaxat Reguli, atque Toparchæ: id quod etiam sit planius verbis illis Appiani Alexandrini in *Syrio*: *Et Rex Armeniæ Tygranes, quod nationes quasdam sibi finitimas, propriis utentes Regibus, sibi subegisset, Rex Regum existimatus est*. Ipse etiam Plutarchus de Pompejo, post debellatos Mithridatem, & Tygranem, Amisi degente *Multi*, inquit, *Duces, & Dynastæ, Reges etiam duodecim ad eum convenerunt Barbari*. At ad eum tamen nec Reges præfati, nec alii notæ potentiæ, quorumque amplum esset imperium, adierunt.

XLI. Atque hi Reguli, Toparchæque dominati sunt etiam illis in partibus tempore Triumviratus, id quod idem satis innuit Appianus, qui de Marco Antonio in Asiam profecto post devictos Brutum, & Cassium, sermonem instituens, *In Syria*, inquit, *Tyrannos ex Urbibus populis* (a). Dixerat autem in *Syrio*, *Pompejum nationibus, quæ Seleucidis parere adsueverant, nonnullis Reges proprios imposuisse, & Dynastas*. Nationes hæ vero ad Syriam spectant ad Euphratem usque, atque ultra etiam hoc flumen, ut paulo ante idem Scriptor adnotat. Syriam quippe, in qua Seleucides regnaverunt, provincias multas, ac Gentes complecti, auctor est Pomponius Mela, *Syria*, inquiens, *late litora tenet, terrasque etiam latius introrsus, aliis, aliisque nuncupata nominibus. Nam & Cœle dicitur, & Mesopotamia, & Damascene, & Adiabene, & Babylonia, & Judæa, & Sophene*. [b]. Porro eadem in regione plerasque Tetrarchias collocat Plinius: hæc namque de Syria, nec ea quidem tota, scribit: *Ad Orientem Laodicæos, qui ad Libanum cognominantur, Leucadios, Larissæos, præter Tetrarchias, in Regna descriptas barbaris nominibus* XVII. (c). Dubium itaque non est, quin illis temporibus plerique parvi Reges, Reguli, Tetrarchæ, Toparchæ regiones illas obtinuerint, in illisque regnaverint; ex quibus aliquos omni philosophiæ, sapientiæque studuisse, atque ex iis nonnullos ad Christi cunas advenisse, nihil tandem est causæ, cur abnuere quis debeat.

XLII. Atque hæc fere habui, quibus Evangelicos Magos eximerem e Vulgi humilitate, abjectioneque, in quam Auctor illos conjicit. Certe multorum, atque adeo omnium fortasse, quos Majorum virtus, & claritas cohonestat, tot sæculis, atque argumentis nobilitas nequaquam innititur, modo missis adulatorum nugis, commentitiis personis, ac fictis insitionibus, res ipsa sincere, ac veritas conquiratur. *Non est*, inquit Seneca, *quod te isti decipiant; qui quum Majores suos recensent, ubicumque defecit nomen illustre, illico Deum fingunt* (d). Atque ut luculentius hæc explices, finge animo, aliquem ex hisce nobilibus, qui nunc vigent, ac florent, invenire Scriptorem unum, vel alterum, qui vixerit quindecim abhinc Sæculis ita prorsus de ejus familia loquentem, quemadmodum de Magis Tertullianus loquitur; nonne is illico magnos sibi animos sumeret, regium genus jactaret, in eaque opinione plurium recentium Eruditorum (*haud ignorantium quid sibi deest*) industria, studiisque confirmaretur? Quid jam vero, si Sæculis insequentibus ipsum illud a plerisque valde claris Auctoribus explicatius traditum; postremo uno ore, atque sententia, plenaque consensione celebratum perspiceret, nonne id in compertis haberet non ipse modo, sed eruditi etiam, doctique omnes atque etiam indocti? Quid est igitur, quamobrem Magorum nobilitati, eximiisque titulis insesti, controversias excitemus; nec solum fuisse eos Reges, sed etiam Toparchas, aut Viros claros, atque potentes, *præfracte negemus*, tot Sæculis, Scriptoribus, Christianis omnibus constantissime reclamantibus?

XLIII. Jam de Magorum numero, utrum tres fuerint, nec ne, brevior erit, atque etiam facilior disceptatio. Et tres duntaxat illos quidem fuisse, communis omnium consensus est, & celeberrima persuasio; quæque jamdu, multisque ab hinc Sæculis, atque adeo semper, viguit, obtinuitque. Verumtamen Auctor tot vocibus, tantaque consensione non modo ab adsertione hac impugnanda non deterretur, sed potius (qui mos ejus est) rejicit illam continuo ad futiles vulgi opinationes: *Tres*, inquit, *vulgo fuisse creduntur, levi profecto, ne dicam nullo plane fundamento. Ex antiquis enim Ecclesiæ Patribus, unus Leo Magnus nobis numerum hunc definivit passim in Sermonibus de Epiphania; ac longo post illum intervallo ignotus Auctor Sermonum Eusebio Emisseno perperam adscriptorum; silent cæteri Patres*. Itaque Vir tantæ gravitatis, atque eruditionis, Leonem Magnum dico, cujus auctoritas vel una sola, rem quamlibet ad Ecclesiam spectantem, vel definit, vel sustinet; in præsens, judice Auctore nostro, testis vel levis, vel etiam nullus est. Quid igitur restat, nisi plane dicere, ipsum, inauditum id adhuc, atque a nemine usurpatum, primo commentum esse, illudque iterum, ac sæpius, quo fabulæ fidem faceret, in suis Sermonibus inculcasse? Atque id utique illud est, quod Auctor censet; qua modestia, ipse videritⁿ; qua vero diligentia, id nobis in præsens expendendum est.

XLIV. *Ex antiquis*, inquit, *Ecclesiæ Patribus, unus Leo Magnus nobis numerum hunc definivit*. Atqui Maximus Taurinensis, cui merito inter Ecclesiæ Patres & locus est, & auctoritas, Magos tres fuisse absque ulla ambiguitate pronunciat verbis illis: *Et bene, Carissimi, uno itinere tres simul adoraturi veniunt Magi: quia in uno Christo Jesu, qui omnium credentium via est, inseparata ab eis erat Trinitas adoranda* (e). Nempe, nec unus, nec primus est Leo Magnus, qui hunc nobis definiat Magorum numerum: quippe quem in hujusmodi adsertione D. Maximus antevertit. Jam vero in Opere Musivo, quo Sixtus III. Liberianam Basilicam adornavit (anteceſſit is Summus Pontifex Leonem Magnum) tres solum Magi Christum puerum donantes adspiciuntur. Consulantur vetera Monumenta Joannis Ciampini (f). Nec porro verius illud est, quod mox subdit: *longo post Leonem intervallo, hujus numeri meminisse Auctorem Sermonum Eusebio Emisseno perperam adscriptorum; silere cæteros Patres*. Namque ad Patres haud dubie pertinet D. Cæsarius Arelatensis, nec alioqui a Leo-

(a) *Lib.* 5. *de Civilib. Roman. Bellis.* (b) *Lib.* 1. *cap.* 11. (c) *Lib.* 5. *Natural. Histor. cap.* 23. & 18. (d) *Lib.* 3. *de Benefic. cap.* 28. (e) *Homil.* 3. *in Epiph.* (f) *Tom.* 1. *cap.* 22.

Leonis ætate valde remotus est; at is tamen Magos numero tres fuisse confirmat: *Illi magi tres (Reges) dicuntur*. Subscribit his Beda, quem, nisi fallor, e Patrum consensu noster Auctor non exturbabit. Deinde Paschasius Ratbertus, Haymo, atque omnes pæne.

XLV. At quoniam ipse documenta postulat antiquiora, ex his multa in unum collecta simul effundimus. Præsto quippe sunt nobis tredecim testimonia; duodecim ex præclaro opere *Roma subterranea*; unum vero ex libro, cui titulus; *Osservationi sopra i Cimiterii de' Santi Martiri &c.* (*a*) nuper edito a Viro pererudito Marco Antonio Boldetti. Et sunt illa quidem duodecim Arcæ, e vetustis, dirutisque Cœmeteriis effossæ, in quibus scalpti prospiciuntur tres Magi tantummodo, Infantem Jesum adeuntes venerabundi, ipsique dona offerentes. Alterum est pictura quædam antiquissima idipsum exprimens, quam in Cœmeterio Callixti Scriptor modo laudatus conspexisse se ait. Porro Scalptores illos, atque Pictores communem Ecclesiæ vocem in hoc exprimendo sequutos esse qui prudenter negari possit, non video, nisi forte refricanda sit istiusmodi Artificum audacia, & levitas; sedenim multo mihi leviores, audacioresque videntur ii, qui quum sese valde criticos, atque omni eruditione refertos autument, illa tamen confidenter proferunt: *Primus omnium Theophylactus regiam Magis dignitatem attribuit: Ex antiquis Ecclesiæ Patribus unus Leo Magnus numerum hunc Magorum definivit*: aliaque id genus, quæ in hisce dissertationibus frequenter advertimus, ac refutavimus.

XLI. Sed instat Auctor, objicitque nobis Auctorem Operis Imperfecti in Matthæum (*b*) & Petrum Abaelardum (*c*) Magos Christi adoratores duodecim fuisse docentes. Calmetius his addit Auctorem Glossæ Ordinariæ, Strabum, nempe, Fuldensem, quem nihil quidem definite de Magorum numero habere ait, attamen docere magnum illum fuisse. Atque hinc ipse conficit, receptissimam sententiam quod Magi tres fuerint, non semper in Ecclesia fuisse retentam.

XLVII. Ordiar ab hoc ultimo. Et vero si legitime colligeretur Traditionem aliquam non perpetuo in Ecclesia receptam fuisse, propterea quod unus, vel alter Scriptor non illam probaverit; quid, quæso, dicemus de tot libris Canonicis, quos plerique Patres, atque Scriptores, Canonicos habendos esse negarunt? Quid de Catholica sententia, quod hæreticorum baptismus sit validus; quod Infantes sint baptizandi, deque aliis hujusmodi sacris adsertionibus; quibus Doctores non pauci diversis temporibus contradixerunt? Nimirum & fieri potest, & nullo pacto repugnat, ut doctrina aliqua, vel Traditio viguerit semper, receptaque fuerit in Ecclesia, quamvis nonnulli in ipsamet Ecclesia non defuerint, quibus minime probaretur. Interim, quod speciatim ad rem nostram attinet, valde negamus, Auctorem Operis Imperfecti *docere*, nostros Magos fuisse duodecim (vel quatuordecim, ut Calvinus refert) Hæc enim habet: *Audivi aliquos referentes de quadam Scriptura, etsi non certa; tamen non destruente fidem, sed potius delectante, quoniam erat quædam gens &c.* (*d*) Refert itaque Narrationem, quam hac de re audivisse se ait; & illam quidem doctrinæ Catholicæ non adversari, affirmate pronunciat. At inde omnino perperam conficeretur, ipsum illam probare, atque etiam *docere*. Namque & nos quoque concedimus, doctrinam catholicam minime destrui ab hujusmodi narratione; at non iccirco illam recipimus, ac docemus. Jam quod ait, ea *Fidem delectari*; commune id certe est cunctis narrationibus, quæ pietati utcumque favent, etsi aliquando dubiæ, vel minus veræ. Neque enim isti negabunt, Vitas, exempli causa, D. Eustachii, D. Catharinæ &c. plerosque quum delectare, tum ad pietatem incendere; at non propterea ad illas recipiendas uti veras, atque emendandas adigi poterunt.

XLVIII. Longe itidem a veritate remotum est, Auctorem Glossæ Ordinariæ nihil illum quidem definiti habere de Magorum numero; at magnum tamen illum fuisse diserte tradere. Hæc enim sunt ejus verba: *Qui etsi tria munera obtulisse dicuntur, non plures, quam tres fuisse probantur; sed ut per eos Gentes, quæ ex tribus filiis Noe natæ sunt, venturæ ad fidem præfigurentur; vel tot* [*idest tres*] *fuerunt Principes, qui multos duxerunt in suo comitatu* (*e*). Ubi, quæso, hic apparet magnus ille, tametsi minime definitus Magorum numerus? Ait quidem, ex tribus muneribus tres illos fuisse haud recte colligi, verumtamen tot illos fuisse, nequaquam abnuit; quin deinceps de hoc numero non aliter, quam de re penitus explorata, mentionem facit. Etenim ad verba illa, *Et intrantes Domum*, hæc adnotat: *Tres Magi uno itinere Deum veniunt adorare, quia in uno Christo, qui est via, inseparabilis Trinitas ab eis erat adoranda* Et infra ad illa, *Obtulerunt ei &c. Mystice*, inquit, *tres Magi significant Gentilem populum, de tribus Filiis Noe procreatum, ad fidem Christi venientem*. Denique Petrum Abaelardum, ejusque opiniones nihil moror, audacem hominem, novitatisque, ac singularitatis percupidum, quemque *adversus omnes* (*f*) non suæ modo, sed totius etiam prioris ætatis Doctores, & Patres disputare, plurimum delectabat. Quamquam, quod ad præsentem rem spectat, nihil ipse de ea protulit affirmate; sed solum dixit, id quod etiam nos concedimus, ex tribus donis haud plane confici, Magos fuisse tres; nullumque pro hoc numero perspicuum exstare locum in Sacris Scripturis. Addit, vero, referre Chrysostomum, illos fuisse duodecim. Nempe, credidit, Auctorem Operis Imperfecti, ad quem ea pertinet Narratiuncula, ipsum esse Chrysostomum; unde factum opinor, ut hac de re nihil definiti protulerit.

XLIX. Postremo noster Auctor observat; *Iccirco tres tantum fuisse vulgo credi, quia tria oblata munera memorat Evangelium, Aurum, Thus, & Myrrham, quasi singula obtulerint singuli. Quis id porro*, [subdit] *certo sciat? Immo omnia singulos obtulisse probabilius est &c.* Hac eadem ratione in Catholicos Calvinus insultat, utpote quos *puerilis error induxerit, ut illos tres fingerent, quia dicit Matthæus, eos obtulisse Aurum, Thus, & Myrrham* [*g*]. Equidem nonnullo. hoc argumento usos esse comperio, quo Magos tres fuisse concluderent. Verumtamen Paschasius Ratbertus (atque adeo ipsa res æque æstimata) aperte negat, id ex hac ratiocinatione confici, sed ex sola Majorum traditione. *Qui etsi*, inquit, *tria rerum munera detulisse leguntur, non ideo mox ex Evangelio non amplius, quam tres fuisse probatur, sed ex Traditione Majorum*.

L. Maneant itaque sartæ, & tectæ, ut ajunt, quum hæ, tum aliæ omnes Traditiones, quibus tot Sæcula, tot Patres, tot Monumenta, totius denique Ecclesiæ consensio suffragatur, quibusque recentes quidam Critici aliud ferme nihil objiciunt, præter conjecturas quasdam sæpe levissimas, interdum solam frontem in plerisque audacter negandis, vel affirmandis. Profecto quum artis Criticæ nequaquam sit lucem eripere, & quasi noctem rebus offundere sed

(a) *Lib.* 1. *cap.* 5. (b) *Homil.* 2. (c) *Serm.* 4. *de Epiphania*. (d) *Homilia* 2. *in cap.* 2. *Matth.* (e) *In* 2. *Matæi*. (f) *D. Bernard. Ep.* 190. (g) *In Harmonia Evangelica*.

sed illas potius illustrare, nebulas dissipando; quis demum justos, sanosque Criticos hos habebit, quorum veluti professio, atque institutum est, cuncta, etiamsi satis clara, confundere, obducere, ambiguitatibus adspergere? Et argumenta postulant explorata, documentaque certa; quasi non continuo claritatem amittant aquæ, dum lacunis inseruntur turbidis, inquinatisque. Quasi, inquam, non frustra is lucem, cælumque nitidum expetat, e quo tamquam e Vulcano quodam jugis nox, & caligo suboritur. Quasi postremo in rigidos istos evidentiæ, exploratorumque testimoniorum exactores, non illud apprime quadret, quod olim de vento Noto ferebatur in fabulis: Aliquando ibat Notus nebulis, ac pluvia madidus, involutus, obscurus. Occurrit ei forte Viator quidam, cui etsi primo monstrum illud horrori fuit; mox tamen ab eo petere ausus est, quis ille mortalium, aut immortalium foret, & quo demum tam inconditus, ac pæne obrutus ire pergeret? Cui ille, Notus sum, inquit; & loca peto sereniora, ficcioraque. Tum Viator renidens, Tu vero, inquit, amice, ea numquam invenies: *Ex te enim pluviæ, & nubes producunt*.

DISSERTATIO VIII.

Josephum Deiparam comitatum esse, quum ad visitandam Elisabeth profecta est, uti valde verosimile propugnatur.

I. Fuerit, nec ne, Joseph Deiparæ Comes, illiusque itineris socius, quum accepto cælesti nuncio, ad cognatam Elisabeth profecta est, res est ejusmodi, de qua minus anxie in utramque partem disseri potest. Etenim quid reipsa contigerit, nec Sacræ litteræ docent, nec Traditio, nec communis Scriptorum vox explicate declarant. Itaque si noster Auctor satis habuisset, opinionem suam, qua Josephum B. Virginem comitatum negat, conjecturis, & ratiocinationibus confirmare, rem hanc intactam omisissemus, nullamque de ea disputationem instituissemus. At quoniam parum id ipsi est, nisi etiam in alterius sententiæ sectatores, ut quidem mos ejus est, acerbius invehatur; inutile haud arbitror, factum hoc paucis expendere, rejectæque adsertionis probabilitatem breviter illustrare.

II. Ad id porro nonnihil facit id, quod ipse cum aliis plerisque comprobat, & quidem recte, ut mea fert opinio, nimirum, B. Virginem Josepho jam tum matrimonio junctam, ac traditam fuisse, quum ab Angelo salutata, deque admirabili Dei hominis mysterio edocta est. Profecto si Uxorem, & illam quidem tenellam, atque juvenculam, suæ fidei, ac virtuti paulo ante concreditam, illud iter solam, desertamque Joseph ingredi sustinuisset; haud mihi quidem suppeteret, quo ipsum a plane absona, atque inhumana propemodum negligentia verosimiliter excusarem. Illud certe munus, ad quod cælesti consilio potissimum delectus est, ignave nimis, ac prorsus indiligenter exequutus esset. *Quin etiam*, inquit Ambrosius, *locupletior testis pudoris Maritus adhibetur, qui posset & delere injuriam, & vindicare opprobrium* (*a*): aptene domi lateret, quum illa esset in viis, & compitis? Et quidem ipsum Deiparæ custodem potius, quam Maritum fuisse, Hieronymi sententia est (*b*). At ne Custos quidem illius fuit, si ab se illam egredi, atque abire vel solam, vel una vetula comitatam, facile passus est. Augustinus vero Ambrosium imitando, *Desponsata est*, inquit, *Viro justo, non violenter ablaturo; sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam voverat* (*c*). At qui demum id faceret longe positus, Sponsæque peregrinanti quid accidere posset ignarus? Non absimili ratiocinatione Chrysologus, *Sponsus quid*, inquit, *faceret ad ista? Accusaret de crimine; Sed erat ipse innocentiæ testis* (*d*). Ita ne testis, tamdiu ab illa disjunctus, & quam sustinuit peregrinari vel solam? *Culpam diceret? sed erat ipse Custos pudoris*: Immo vero domus potius fuisset, quam Uxoris. *Urgeret adulterium? sed ipse erat Virginitatis adsertor*: Qui tandem, quum tempore non exiguo procul ab ea degerit; ipsique in itinere accidisse nihil, quo ejus Virginitas læsa foret, jurejurando confirmare non posset?

III. Postremo, missis aliis, Bernardum audiamus: *Mos*, inquit, *Judæorum erat, ut a die desponsationis suæ, usque ad tempus Nuptiarum, Sponsis Sponsæ traderentur custodiendæ &c.* (*e*) Nempe, cum Chrysostomo censet Bernardus, eo tempore B. Virginem desponsam tantummodo, non nuptam fuisse Josepho; at ei tamen pro Gentis more, jam traditam, ut illius pudicitiam custodiret. An id vero satis congruat cum hac Deiparæ solitaria peregrinatione, in qua tamdiu, ab ipso, qui Nazarethi degeret, disjunctum illam, absentemque esse oportebat, prudentibus rerum harum æstimatoribus disceptandum relinquo: quod enim ad nos attinet, parum id consentaneum existimamus.

IV. At enim *Liquet ex Evangelio Matthæi* 1. 19. *Josephum, Mariæ ex peregrinatione subinde reduce, divinæ illius fœcunditatis mysterium ignorasse, ac de illa sinistrum quidpiam suspicatum, ubi gravidam deprehendit, deque illa dimittenda cogitasse. Mysterium porro novisset, divinamque Sponsæ graviditatem intellexisset, si factus viæ comes, patrata in Zachariæ domo prodigia suis ipse oculis usurpasset, vocemque cognatæ Elisabethæ inaudisset: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Non ergo Josepho comite fecit iter* (*f*).

V. Huic unicæ ratiocinationi Auctor innixus, opinionem, quam propugnamus, ut minus verosimilem deferit (*g*). Et sit quidem ita, ut ipse conjicit, modo duo hæc efficiat, obtineatque: Primum, oportuisse Josephum, semel ac Deiparæ comes fuit, magno illi, sacroque colloquio interfuisse; Alterum, Elisabethæ verba audire Josephum non potuisse, quin illico tenuerit veram, arcanamque illorum significationem. Nisi enim hæc evicerit, atque unum ex altero perspicua consequutione colligi planum fecerit, ipsius ratiocinatio debilis admodum, atque adeo inanis evadet. Porro aut valde fallimur, aut non facillime isthæc ipse conficiet. Neque enim omnino hæc inter se sunt connexa: Joseph ad Zachariæ domum Deiparam comitatus est: Oportuit igitur ipsum interfuisse primis Sanctarum Cognatarum amplexibus, ac salutationibus. Quid enim, si dum Virgo primo domum ingressa est, tantisper extra fores Josephus restitit, dum sarcinulas, ac forte etiam Jumentum curaret, quo eo in itinere usum esse, verosimile valde est? Multas vero causas intervenire potuisse, ne simul, atque eodem momento temporis, ipse cum Deipara domum illam ingrederetur, quis prudens, rerumque peritus in dubium vertet? Potuit ipsum parumper amicus aliquis detinere; potuit hoc ipsum facere unus, vel alter illius Domus familiaris, vel servus; postremo potuit ipse ad Zachariam recta tendere, ac

(a) *Luca* 1. *lib.* 2. (b) *Contra Helvid.* (c) *Lib. de S. Virginit. cap.* 4. (d) *Serm.* 145. (e) *Homil.* 2. *in Missus est, cap.* 12. (f) *Exercit.* 28. *num.* 4. (g) *Ex Cornel. a Lap. in* 1. *Luca*.

ac suo intentus officio, ad illarum salutationes, & verba non admodum attendisse. Quum horum aliquid, vel simile quidpiam ea in re facile obvenire potuerit, nulla nos adigit ratio gravis, ac necessaria, ut Josephum illi colloquio præsentem constituamus.

VI. Demus jam, ipsum Deiparæ, atque Elisabethæ verbis interfuisse, audisseque omnia, quæ illæ tum invicem contulerunt; at non iccirco & illud continuo dabimus, ipsum, nempe, magnum illud secretum Elisabethæ vocibus, remque totam plane condidicisse. Neque enim perinde est adesse loquentibus, atque auribus illorum verba percipere, ac verborum hujusmodi statim veram, germanamque sententiam adsequi. Exemplum affero, ut mihi quidem videtur, luculentissimum, ex D. Lucæ Evangelio, ubi Christum Dominum sic aliquando Discipulos allocutum legimus: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & consumabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: Et postquam flagellaverint, occident eum, & tertia die resurget* [a]. Profecto dici hæc planius, atque explicatius non potuere. Verumtamen Sacer Scriptor mox subdit: *Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur*. Nimirum, facile nobis est quum harum, tum aliarum id genus sacrarum locutionum significationem advertere, utpote qui in iis perpetuo versati, ac vel a pueris eruditi sumus. At Antiquis illis obscura valde, ac mysteria prorsus hæc erant, vulgo nihil, aut parum cognita, modo paucos excipias, quos Deus clariori lumine dignabatur. Haud itaque mirum, si hæc, aut alia hujusmodi, quæ nobis jam plana, atque explorata sunt, ab illis minime intelligebantur; si, inquam, Joseph non admodum tenuit, quid verbis illis sibi vellet Elisabeth: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui &c.* Namque, & possunt hæc ab eo, qui divinæ illustrationis est expers, intelligi humano more, & prolem quoque non vulgarem significare, non illam quidem jam satam, atque conceptam, sed postmodum concipiendam, præcipue ob illa verba, *Perficientur in te &c.* Quamobrem si eo tempore Joseph (id, quod Auctori non displicet [b], insinuantque revera Hieronymus, atque Augustinus) in consueta Maritorum voluntate perstabat, potuit ipsi, Elisabethæ verbis, nonnulla spes injici de magna aliqua, ac spectatissima prole, ex ipso, scilicet, ejusque Conjuge proditura. Illud saltem nemo abnuet, Elisabetham suis illis verbis nihil explicate, atque aperte dixisse de Filio Dei in Virginis utero jam homine facto. Quamobrem Joseph de re hujusmodi tunc minime cogitans, haud facile ex illis Mysterium hoc addiscere potuit, *Divinamque Sponsæ graviditatem intelligere*.

VII. At inquies, saltem ex prodigiis in Zachariæ domo patratis, quæque Joseph suis ipse oculis usurpasset, in Mysterii notitiam pervenisset. Nimirum, hic, quum, nempe e re sua est, profundit Auctor miracula, atque prodigia, tametsi nihil horum Lucas meminit, vel Sacrorum Scriptorum alius. Postquam enim D. Lucas celeberrimum Mariæ Canticum retulit, mox subdidit: *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reversa est in Domum suam* (c): nihil de prodigiis loquens, nihil de miraculis memoriæ commendans. Parum itaque sibi Auctor constat, hæc sine Sacris Litteris obtendendo, quum & alibi sæpe, & hac etiam in re, Scripturæ silentium in magnis argumentis habere soleat (d). Nec tamen abnuerim, patrata tum illic non pauca fuisse prodigia; sed profecto quum ignoraverit Joseph miraculorum maximum, quamvis in sua patratum Domo; haud valde mirum, si & illa quoque nescierit, quæ alienis in ædibus contigerunt. Nempe inter Mariam, & Elisabeth hæc acta esse verosimillimum est, cauteque ab iisdem abscondita, atque servata, & quidem adeo, ut de illis rect nos quidem ratiocinari possimus, sed omnino absque testibus.

VIII. Quod porro *liqueat*, ut Auctor ait, *ex Evangelio Matthæi* 1. *Josephum Maria ex peregrinatione subinde reduce, divinæ illius fœcunditatis mysterium ignorasse, ac de illa sinistrum quidpiam fuisse suspicatum &c.* Id equidem neque a Matthæo, neque a Luca, nec ab alio quovis Sacro Scriptore commemoratum invenio. Ubi enim, & quando in eam Joseph suspicionem venerit, Sacræ Litteræ non declarant. Et communis quidem sententia, cui minime repugnaverim, id Nazarethi evenisse docet, quum illuc Virgo e peregrinatione rediit. Ad id ex Matthæi Evangelio *liquere*, uti Auctor affirmat, minime verum est. Quamobrem communi quidem consensioni (cui ipse sæpe non multum defert) nequaquam vero Sacris Litteris ii adversarentur, qui in Zachariæ domo hæc evenisse conjicerent; & quidem Josepho suspicionem illam injectam esse ex verbis Elisabeth, quibus Mariam fortasse gravidam, sed quomodo, & a quo, intelligere haud potuit: *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*; sed ubi, quando, quibusque argumentis id Joseph invenerit, reticet Evangelium.

IX. Expendamus jam, qui commode, atque decenter hanc Deiparæ peregrinationem Auctor instituat: *Non*, inquit, *Josepho comite fecit iter; sed vel sola fecit*. Ita ne sola? nec vereris in iter quatridui unam Virgunculam, Juvenculamque conjicere, hisce incommodis insuetam, viarum nesciam, periculis inexpertam, solam, incomitatam, derelictam? Et *longam* certe, *ac periculosam* peregrinationem illam fuisse, vel ipse Auctor non diffitetur (e). Qui igitur consentanee ad eam absque comite instituendam, puellam adigit, adhuc *prodire domo nesciam, nisi quum ad Ecclesiam conveniret: & hoc ipsum cum Parentibus, vel Consanguineis* (f)? ut observat Ambrosius. Et subdit ipse quidem: *Vel quod postulare videbatur honestas, & pudor, sumpta sibi socia prudenti, gravique Matrona*. Mox tamen addit: *Quod utrumque tamen incertum est*. Sed profecto quicumque rem vel tantisper considerabit, Deiparam probe comitatam illud iter ingressam esse, in compertis habebit. Jam vero si, ut honestati, ut par est, ac pudori consulatur, ei comes aliquis est designandus, ab re prorsus, ac perperam misso Viro ejus Joseph, Matrona, nescio quæ, gravis, & prudens in medium vocatur. Nam quis demum puellæ modo nuptæ, honestior comes, atque decentior, quam ipsemet ejus Conjux? Ut mittam, nullam fortasse prudentem Matronam, longum iter, & in quo etiam noctes agendæ erant, nullo suæ cognationis Viro comite, ingressuram fuisse.

X. Postremo quum explorata, absolutaque Traditio sit, id quod ipse etiam Auctor confirmat (g), diem Christi Natalem, ipsum esse quintum, ac vicesimum Decembris diem; profecto si minus certa, valde tamen probabilis est opinio, universim pæne recepta, quæque nec ipsi omnino displicet, nimirum, Conceptionem ejus incidisse in diem

(a) *Cap.* 18. (b) *Exercit.* 25. *n.* 2. (c) *Lucæ* 1. (d) *Exercit.* 24. *n.* 6. (e) *Exercit.* 25. *n.* 6. (f) *Lib.* 2. *de Virginib.* (g) *Lib.* 31. *n.* 3.

diem Martii vicesimam quintam. Consentaneum quippe est, ut non quod interdum accidit, sed quod veluti ad naturæ regulas generatim evenit, non minus novem mensibus, nec longiori tempore, Christus in Virginis utero gestatus sit. Hinc porro statim fit verosimile id, quod refert Chronicon Alexandrinum, nempe, Deiparam prius Jerosolymis Pascha celebrasse, deinde eodem itinere ad Elisabetham iviisse. Illud enim Pascha eo circiter tempore contigit. Quumque non sit cur negemus, Josephum ad Sacra illa Sollennia profectum esse, nonne & illud consectarium est, ipsum eo in itinere B. Virginem comitatum fuisse? præsertim quum scribat Ambrosius: *Quid, quod annis quoque omnibus ibat in Jerusalem sollenni die Paschæ, & ibat cum Joseph* (a)? Parum quippe probabile fit, Josephum per eos dies Jerosolymam profecturum, Sponsam suam in comitatam præmisisse, ipso illud idem iter paulo post ingressuro.

XI. Si brevis hæc disputatio non prorsus est improbabilis, nec argumentis innititur penitus contemnendis, facillimum quoque erit ab Auctoris acerbitate Pictores defendere, quos quum alibi, tum hic vel maxime contumeliis afficit. Ait enim sic: *Quare castigandæ omnino venit Pictorum audacia, qui, ubi officiosum illud Mariæ Virginis ad Cognatam Elisabetham aditum adumbrant penicillo, ambasque Matres inter se consalutantes repræsentant: binos hos quoque seniculos, Josephum, & Zachariam, mutuæ salutationis officium invicem peragentes effingunt. Bina utique stoliditate. Namque Joseph, ut probavimus, procul aberat; Zacharias vero surdus æque, ac mutus erat, peragendæ consalutationi parum idoneus*. At enim quum ipse non usque adeo clare, dilucideque probaverit, procul tunc abfuisse Josephum, ut sit plane stolidum aliter opinari, poterit, quod ad hoc attinet, ab ea nota Pictores absolvere. Sane D. Bonaventura sententiam, quam propugnamus, probabilem arbitratur: ait quippe: *Vel etiam cum ipso Sponso* (b). Idipsum censet Dionysius Carthusianus, alios quoque laudans hujus opinionis adprobatores, verbis illis: *Præterea aliquid adserunt, quod Joseph profectus est cum Mariæ ad visitandam Elisabeth, tamquam obsequiosus, ac diligens commissæ sibi Virginis custos* (c). Nec dissimiliter Jansenius Gandavensis, *Existimant*, inquit, *etiam ad hanc Civitatem Mariam non sine Josepho, jam facto Conjuge ejus, accessisse; quod eo potest videri verosimilius, quod hæc Mariæ profectio circa tempus Sollennitatis Paschatis facta sit, ad quam omnes Viri adscendere præcipiebantur* (d). Et quidem ea verba B. Lucæ, *Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in Montana &c.* Idonei Scripturarum Interpretes Maldonatus, Jansenius Iprensis, Natalis Alexandri, non ita volunt accipi, ac si eodem die Virgo illud iter ingressa sit, sed ut illud post dies paucos instituerit. Quamobrem si illius anni Pascha contigit ineunte Aprili, vel eo circiter tempore; probabile valde fit, Josephum eo in itinere Deiparam comitatum esse, &, quod consequens est, haud stolidos esse Pictores, qui id in suis tabulis exprimunt.

XII. Quod porro Zacharias peragendæ consalutationi parum fuerit idoneus, propterea quod surdus æque erat, ac mutus: fortasse id genus impedimenti nonnullis haud ita magnum videbitur, ut ab illis consalutationibus omnino Zachariam debuerit excludere. Neque enim & cæcus etiam, & claudus erat, ut Josepho ad breve spatium prodire obviam non potuerit, illumque complecti, atque si minus voce, hilari tamen vultu, aliisque commodis gestibus, lætitiam de ejus adventu conceptam pacto aliquo contestari. Quid hic tandem incredibilis, quid absurdi confingitur, quo stomachari Auctor possit, & quidem adeo, ut eos, qui isthæc opinantur, ac exprimunt, illico *stoliditatis* accuset? Quin ipse potius commonendus est, ut tandem aliquando discat moderatius sibi placere, ac missis conviciis, ipsam rem agere: quippe ii revera stolide contentiosi & habentur, & sunt, qui quum *se solos homines autument* (e),

. . . Nil omnino rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt (f).

F I N I S.

(a) *Lib.* 2. *de Virginib.* (b) *In Lucæ* 1. (c) *In Matth. art.* 3. (d) *Concord. cap.* 4. (e) *Job.* 12. (f) *Horat. lib.* 2. *Epistol.*

IN-